PETRI FRANCII
ELOQUENTIÆ
EXTERIORIS
SPECIMEN ALTERUM,
AD ORATIONEM CICERONIS
PRO M. MARCELLO
Accommodatum.

Accedunt Ejusdem
DE
RATIONE DECLAMANDI
ORATIONES DUÆ.

AMSTELÆDAMI,
Apud HENR. WETSTENIUM,

cIↃ IↃ C XCIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI S.

EN tibi alterum Exterioris eloquentiæ ſpecimen, amice Lector; quod in gratiam Diſcipulorum meorum, quos alternis tum ad illam pro Archia, tum ad hanc pro Marcello orationem exerceo, facere me debere exiſtimavi. Vidi enim & animadverti multo minus negotii & illos & me habere, ubi non viva tantum voce mentem meam percipiunt, ſed & domi ſe præparare, antequam ſe ad dicendum accingunt, & hoc ipſum quod dicitur, conferre deinde cum ſcripto, & ſuam relegendo

memoriam refricare, cum volunt, poſſunt. Noli vero credere, me ita cum omnibus Ciceronis Orationibus agere velle. Proclive quidem id foret, ſi opus eſſet; ſed cum hæc videantur ſufficere, & ingratus omnino iſte futurus ſit labor, malo hic pedem figere, quàm bonas horas male collocare. Nam qui ex hoc ipſo, quod dedimus, & nunc denuo damus, ſpecimine naturam Artis perſpicere, eamque ſibi applicare potis non erit, nihilo plus proficiet, etiamſi univerſum Ciceronem percurrerem, & fruſtraneus omnis hic meus futurus eſt labor. Quare nullam à me amplius Orationem expecta, niſi unam fortaſſe, ſi ullam, hoc eſt nobiliſſimam illam, pro Ligario habitam, in qua omnem vim eloquentiæ, omne Rhetoricum artificium, omne affectum

ctuum genus exhibere voluiſſe videtur Oratorum princeps. Et cum Exterior eloquentia ab Interiore dependeat, in nullo exemplo melius, quàm in hoc ipſo, quanta ſit vis Actionis, palam omnibus fieri, & manifeſtis plane indiciis oſtendi, ut puto, poſſet. Sed nihil promitto, neque quicquam definio. Hoc interim ſint Catone contenti, qui hanc artem addiſcere, & ad exteriorem ſe eloquentiam conformare, hoc eſt ad Forum, ad Curiam, aut ad Eccleſiaſticam cathedram habiles ſeſe reddere & idoneos cupiunt. Et quoniam Theologis hæc ſcribuntur potiſſimum, rem non inutilem me facturum puto, ſi quaſdam hîc adjecero Regulas, ad Theologos proprie pertinentes, quas in ſacris ſuis concionibus obſervare juniores poſſint.

I.

Lente, & cum gravitate ſuggeſtus ſacer eſt adſcendendus: Juvenilis enim animi ſignum eſt præcipitatio: virilis, & moderati, ſine affectatione gravitas.

II.

Lente in primis ac moderate in ipſo ſe ſuggeſtu gerat, & bona ſtatim opinione auditores imbuat Orator ſacer: quare cum dignitate pileum ſuum ſuſpendat, codicem ſacrum aperiat, & ad dicendum conveniente ſeſe modo componat.

III.

Pallium deponere, & omnem ſibi dignitatem adimere, plane indignum eſt, & neſcio quam vulgarem ac plebejam in auditorum animis ideam excitat. Iſto modo

è

è Viris Juvenes, è Juvenibus Pueri fiunt. Togatos esse oportebat omnes Theologos, non Palliatos, aut tunicatos.

IV.

Allocutio, quæ precationi præmittitur, voce leni admodum ac sedata fieri debet, ut ab hac ad Precationem, ab illa ad Concionem, sensim, & quasi gradibus, adscendatur.

V.

In Precatione, præsertim in primâ, cujus character submissio, submissa omnia voce, & summâ cum dignitate, sunt proferenda. Nulli hîc gestus locum habent, Deum enim alloquimur, qui ne voce quidem nostra, nedum gestibus, indiget. Sublatis manibus, extensis & conjunctis digitis, directis in cœlum oculis,

fundendæ ſunt preces; qui geſtus à pio animi motu, non ab artificio ullo Rhetorico proficiſcuntur.

VI.

Textus, ut vocant, clara & diſtincta voce, cum gravitate item ac dignitate, eſt prælegendus: Dei enim eſt verbum; & ſubjecta materia; quam audire omnes oportet.

VII.

Sacer Codex ſuo loco eſt reponendus; impedit enim dicentem, & multum de Actionis adimit libertate.

VIII.

Pallium in tergum rejicere, aut ſub ſiniſtram alam convolvere, plane eſt indecorum. Ambulantis hic geſtus, non Concionantis, & plebeji mihi hominis, ne-

ne quid gravius dicam, non ſacri Oratoris imaginem repræſentat.

IX.

Tecto capite qui loquuntur, pileum decenter componant, & modeſtiæ ſpeciem eo ipſo tegumento exhibeant.

X.

Sudarium manu tenere, ut noſtris; in ipſum ſuggeſtum deponere, ut Gallis in more eſt; indignum, & adſpectu fœdum judico. Sudorem vero abſtergere, ubi neceſſitas exigit, aut naſum etiam emungere, dum decore id fiat, non illicitum puto; humanitatis enim eſt ſignum, quæ nulli unquam homini crimini verti poteſt.

XI.

Aperto collari, aut apertis e-

tiam manicis loqui, plane eſt ruſticanum. Quoniam tamen & tales inveniuntur, & iſtud à nobis præceptum non debuit præteriri.

XII.

Sedere in ſacro ſuggeſtu Juvenibus ac Viris vetitum; ſenibus, ob ætatem, conceſſum.

XIII.

Chirothecas induere, ut profanis Oratoribus licitum, ita ſacris eſt denegatum: habet enim neſcio quid affectati, & quod fœminas potius deceat, quàm viros graves.

XIV.

Exordium lente & cum gravitate proferri debet, tum quia Exordium, tum quia ſacrum exordium eſt.

XV.

Digitized by Google

XV.

Partitio quomodo fieri debeat, dictum in generalibus Regulis.

XVI.

Explicatio est vice Narrationis, narratur enim & ostenditur, qui verborum sit sensus. Quis autem ad eam requiratur tonus, dictum item in Regulis superioribus.

XVII.

Explicationi immixta est Confirmatio: confirmat enim quod explicatur. Quæ ad eam vox requiratur, qui gestus, in prioribus item memoratum est Regulis.

XVIII.

Refutatio quem tonum, quem gestum requirat, dictum item est supra, hoc est acrem, vehementem, & contentiosum.

XIX.

Digitized by Google

XIX.

Perorationis qui ſit Character, facile videbit, qui cogitaverit, in ea quaſi exultare & triumphare Orationem. In Reprehenſione gravis ac vehemens: in Conſolatione, mitis ac placidus: in Exhortatione lætus rurſum & alacris requiritur ſonus.

XX.

In univerſa Concione obſervandum, partim eam conſtare verbis hominum, partim verbis Dei, quæ ad hominum ſententiam confirmandam adhibentur. Illa autem ſunt vel è Veteri Teſtamento deprompta, vel è Novo. Triplex inde reſultat vocis diſcrimen. Verba enim noſtra medio tono ſunt proferenda: verba Dei ſummo & maximo: locus, ubi leguntur, infimo & maxime ſubmiſſo. Hoc unum ſi obſervare vel-

vellent Theologi, nunquam eſſent Monotoni, & grata ſemper varietate ſuas Conciones diſtinguerent.

XXI.

Inter ipſa porro Dei verba diſcrimen eſt faciendum, ſintne ipſius Dei verba illa, an Prophetæ Dei: quæ pro ſua quæque dignitate proferre oportet: aliter enim Deus loquitur; aliter homines.

XXII.

Ut in omni Oratione ſacra vitanda eſt affectatio, ita præſertim, ſi Prophetæ alicujus aut Apoſtoli, multo etiam magis, ſi ipſius Dei, quem illi loquentem introducunt, verba proferimus: In ſanctos enim viros, nedum in Deum ipſum, nulla cadit affectatio.

XXIII.

Videndum in primis ut cum gra-

Digitized by Google

gravitate, & conveniente voce ac geſtu deſinamus: poſtrema enim fortius ac tenacius hærere mentibus ſolent: & in fine ſæpe deſtruimus, quod ſatis pulchre proceſſerat hactenus.

XXIV.

In media Concione, ut conſuetum eſt Belgis, remiſſiore voce, & nullis, aut lenibus admodum, geſtibus commendandi ſunt pauperes. In quo non bono more hoc interim ineſt boni, quod requieſcere paululum, & ſpiritum ſuum recipere poſſit Orator, ut tanto deinde alacrior reliqua perſequatur.

XXV.

In ultima Precatione nullos item geſtus adhibere convenit, niſi quod in gravioribus paullo expoſtulationibus explicare interdum liceat, & oporteat manus, quæ deinde

deinde ſeſe rurſum conjungunt, & ad priorem denuo formam redeunt.

XXVI.

Finita Precatione, & Hymno deinde ſacro decantato, clara & canora voce, manibus partim ſublatis, partim depreſſis, ultimas illas & minores preces effundere & in voto finire oportet Oratorem ſacrum.

Hæc ſunt, amice Lector, quæ dicenda ad hoc Specimen habui. Subjeci ei notulas aliquot ad meliorem textûs intelligentiam facientes, ut in priore Specimine feceram. Adjeci ad calcem Orationes duas de Ratione Declamandi ante annum unum aut alterum habitas, & ob materiæ affinitatem ab hoc propoſito noſtro non alienas; ut cuivis liquido pateat, in quanta digna-

dignatione apud Veteres fuerint hæc ipſa exercitia noſtra, & in quanto apud nos hodie haberi pretio debeant. Vale, & ſtudiis noſtris, ſi qua inde ad te utilitas redeat, fave.

M. T.

Digitized by Google

M. T. CICERONIS ORATIO PRO M. MARCELLO.

Cap. I.

Diuturni silentii, P. C. quo eram his temporibus usus, non, timore aliquo, sed, partim dolore, partim verecundia, finem hodiernus dies attulit: idemque, initium, quæ vellem, quæque sentirem, meo pristino more dicendi. Tantam enim mansuetudinem, tam inusitatam inauditamque clementiam, tantum in summa potestate rerum omnium modum, tam denique incredibi-

Digitized by Google

lem ſapientiam, ac pene divinam, tacitus nullo modo præterire poſſum. M. enim Marcello vobis, P.C., reique pub. reddito, non ſolum illius, ſed meam etiam vocem, & auctoritatem, & vobis & reipub. conſervatam ac reſtitutam puto. Dolebam enim, P. C., ac vehementer angebar, cum viderem virum talem,[1] tum in eadem cauſſa, in qua ego fuiſſem, non in eadem eſſe fortuna: nec mihi perſuadere poteram, nec fas eſſe ducebam, verſari[2] me in noſtro veteri curriculo, illo, æmulo atque imitatore ſtudiorum ac laborum meorum, quaſi quodam ſocio à me & comite diſtracto. Ergo & mihi meæ priſti-

[3] næ

1 *Tum in eadem cauſa*] Ita lego cum libro Palatino. qui tum in eadem cauſa fuerat. alii, *qui in eadem cauſa, in qua ego, fuiſſet*; quod interpretamentum videtur alterius.

2 *In noſtro veteri curriculo.*] Male alii *veſtro.*

3 *Ergo & mihi meæ priſtinæ vitæ conſue-*

tu-

næ vitæ consuetudinem, C. Cæsar, in tercluſam aperuiſti; & his omnibus, ad bene de omni rep. ſperandum, quaſi ſignum aliquod ſuſtuliſti. Intellectum eſt enim mihi quidem in multis, & maxime in me ipſo, ſed [4] paullo ante omnibus, cum M. Marcellum ſenatui populoque Rom. & reipub. conceſſiſti, commemoratis præſertim etiam offenſionibus, te autoritatem hujus ordinis, dignitatemque reipub., tuis vel doloribus vel ſuſpi-

tudinem] Ita lego, non *& mihi & meæ*, non enim video, cui inſerviat iſta geminatio, ſequitur enim alterum &, cui reſpondet prius, *& mihi* &c. *& his omnibus* &c. ſecundo & retento. *τὰ priſtinæ vitæ* tertio caſu accipienda ſunt. ſed neſcio quomodo turbat triplex illud &: nec video, cur ſe ac ſuam vitam ſeparet. illud alterum multo ſimplicius.

4 *Sed paulo ante omnibus*] Non, *in omnibus*. Intellectum hoc eſt, non mihi tantum, ſed omnibus, quibus ad bene ſperandum quaſi ſignum ſuſtulerat.

Digitized by Google

cionibus anteferre. Ille quidem fructum [5] omnis anteactæ vitæ hodierno die maximum cepit, cùm ſummo conſenſu ſenatus, tum præterea judicio tuo, graviſſimo, & maximo. ex quo profecto intelligis, quanta in dato beneficio ſit laus, cum in accepto tanta ſit gloria. [6] Eſt vero fortunatus ille, cujus

[5] *Omnis anteactæ vitæ*] Ita malim, quam, ut Gruterus exhibet, *vitæ anteactæ*, ſive id conjunctim legas, ſive dividas. Nam illud *anteactæ* ſi poſtponatur, vicinum nimis eſt τῷ *hodierno*, earumdem ſyllabarum vocabulo, & præcedent iſto modo quinque biſyllaba, quorum tria poſtrema Spondei futuri ſunt, quod utrumque faſtidium parit. incommodo iſti medetur Cicero biſyllabum inter duo quadriſyllaba inſerendo, & tres Spondeos uno Trochæo interrumpendo, ſi *anteactæ* quis legat. Hæc inepta videbuntur illis, qui aures non habent: ſed quam recte in hoc ſcriptorum genere verſari poſſint, qui hæc rident, ipſi viderint. Ego, cum hoc ipſo auctore noſtro, aurium judicium longe ſuperbiſſimum puto.

[6] *Eſt vero fortunatus ille*] Ita omnino legen-

jus ex ſalute [7] non minor pene ad omnes, quam ad illum ventura ſit, lætitia pervenerit. Quod ei quidem merito atque optimo jure contigit. quis enim eſt illo, aut nobilitate, aut probitate, aut optimarum artium ſtudio, aut innocentia, aut ullo genere laudis, præſtantior?

CAP. II. Nullius tantum eſt flumen ingenii, [8] nulla dicendi, aut ſcribendi, tanta vis, tantaque copia, quæ, non dicam exornare, ſed, enarrare, C. Cæſar, res tuas geſtas poſ-

gendum, non *vere*, alioquin enim non cohæret oratio, & abſolutam per ſe ſententiam efficit, quod ſcribendi genus ut poſterior ætas amavit, ita melior reſpuit.

7 *Non minor pene ad omnes*] Recte, non *major*, quod neſcio quomodo nonnullas impreſſiones obſedit.

8 *Nulla dicendi aut ſcribendi* &c.] *Nulli* quidam exhibent Mſſ. quod placebat Gulielmio; mihi, ob triplex *i* geminatum, placere non poteſt.

Digitized by Google

sit, tamen hoc affirmo, & hoc pace dicam tua, nullam in his esse laudem ampliorem, quam eam, quam hodierno die consecutus es. Soleo sæpe ante oculos ponere, idque libenter crebris usurpare sermonibus, omnes nostrorum imperatorum, omnes exterarum gentium, potentissimorumque populorum, omnes clarissimorum regum res gestas, cum tuis, nec contentionum magnitudine, nec numero prœliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum, posse conferri: nec vero disjunctissimas terras citius cujusquam passibus potuisse peragrari, quam tuis, non dicam cursibus, sed, victoriis, illustratæ sunt. Quæ quidem ego nisi ita magna esse fatear, ut ea vix cujusquam mens aut cogitatio capere possit, amens sim:

sed

ſed tamen ſunt alia majora. Nam bellicas laudes ſolent quidam extenuare verbis, eaſque detrahere ducibus, [9] communicare cum militibus, ne propriæ ſint imperatorum. Et certe, in armis, militum virtus, locorum opportunitas, auxilia ſociorum, claſſes, commeatus, multum juvant. maximam vero partem, quaſi ſuo jure, Fortuna ſibi vindicat, & quidquid eſt proſpere geſtum, id pene omne ducit ſuum. At vero, hujus glo-

9 *Communicare cum militibus*] *cum multis* habere libros Mſſ. Pall. omnes, & nonnullos inſuper alios, affirmat nobis Gruterus, eamque ipſe lectionem probat, quanquam aliter expreſſerit in ipſo textu. Ego receptam lectionem meliorem puto, quoniam manifeſte ducibus milites opponit, iisque ſuam etiam laudem aſſignandam ait, ſubjungit enim mox ipſe: *Et certe in armis, militum virtus, locorum opportunitas* &c. & paullo poſt: *Nihil ſibi ex iſta laude centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit*, nomine *militum* hos omnes intelligit.

riæ, C. Cæſar, quam es paulo ante adeptus, ſocium habes neminem. totum hoc, quantumcumque eſt, quod certe maximum eſt, totum eſt, inquam, tuum. Nihil ſibi ex iſta laude centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit. Quin etiam illa ipſa, rerum humanarum domina, Fortuna, in iſtius ſe ſocietatem gloriæ non offert: tibi cedit: tuam eſſe totam, & propriam, fatetur. nunquam enim temeritas cum ſapientia commiſcetur, nec ad conſilium caſus admittitur.

CAP. III. Domuiſti gentes, immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes: ſed tamen, ea viciſti, quæ & naturam, & conditionem, ut vinci poſſent, habebant. [10] nulla eſt enim

[10] *Nulla eſt enim tanta vis*] *tanta copia* addunt

nim tanta vis, quæ non ferro ac viribus debilitari frangique possit. [11]animum vincere, iracundiam cohibere, [12]victoriam temperare, adversarium nobilitate, ingenio, virtute præstantem, non modo extollere jacentem, sed etiam amplificare ejus pristinam dignitatem; hæc qui faciat, non ego eum cum

 sum-

dunt libri editi, quod non agnoscunt Mss. ut nec Lactantius, qui locum hunc citat libro de Falsa Religione cap. 9. Videtur natum è principio cap. 2.; *nulla dicendi aut scribendi tanta vis, tantaque copia:* quæ duo tam similia non tam conjuncta esse voluisset noster. Mallem tamen, *vis tanta*, quam, *tanta vis*. plus enim ponderis habet.

11 *Animum vincere*] sine *verum*, multo enim id fortius. & ita quoque Gruterus.

12 *Victoriam temperare*] i. e. moderatum esse in victoria, quod est animi temperati. Rem ipse explicat auctor in sequentibus. *τὸ victo*, quod editiones quasdam occupavit, & in notis suis probare videtur Gruterus, licet aliter in textu expresserit, locum habere non potest, de civibus enim loquitur, qui *victi* appellari non solent, etiamsi à Cæsare superati.

Digitized by Google

ſummis viris comparo, ſed ſimillimum Deo judico. Itaque, C. Cæſar, bellicæ tuæ laudes celebrabuntur illæ quidem non ſolum noſtris, ſed pene omnium gentium litteris atque linguis: [13] neque ulla unquam ætas de tuis laudibus conticeſcet. Sed tamen ejuſmodi res, neſcio quomodo, [14] etiam dum audiuntur, aut dum leguntur, obſtrepi clamore militum videntur, & tubarum ſono. At vero, cum aliquid clementer, manſuete, juſte, moderate, ſapienter factum, in iracundia præſertim, quæ eſt inimica

[13] *Neque ulla unquam ætas*] *uſquam* malebat Modius. non video magnam differentiam.

[14] *Etiam dum audiuntur, aut dum leguntur.*] *cum leguntur* è Libb. Mſſ. Gruterus. ego illud alterum præfero, quomodo & Stephani exhibet & Lambini editio. Probare hanc lectionem ipſe etiam videtur auctor, addit enim mox, *aut audimus, aut legimus*, é quo patet & alterum præceſſiſſe.

Digitized by Google

mica consilio, & in victoria, quæ natura insolens & superba est, aut audimus, aut legimus; quo studio incendimur, non modo in gestis rebus, sed etiam in fictis? ut eos sæpe, quos nunquam vidimus, diligamus. Te vero, quem præsentem intuemur, cujus mentem, sensusque, & os cernimus, ut, quidquid belli fortuna reliquum reip. fecerit, id esse salvum velis, quibus laudibus efferemus? quibus studiis prosequemur? qua benevolentia complectemur? Parietes, medius fidius, C. Cæsar, [15] ut mihi videtur, hujus curiæ, tibi gratias agere gestiunt, quod brevi tempore futura sit illa auctoritas in his majorum suorum, & suis sedibus.

CAP.

15 *Ut mihi videtur*] quidam libri *videntur*, quod haud recte probat Modius. Usitata est loquendi formula, & rem incredibilem prope credibilem facit.

CAP. IV. Equidem, cum C. Marcelli, viri optimi, & [16] commemorabili pietate ac virtute præditi, lacrymas modo vobiſcum viderem, omnium Marcellorum [17] meum pectus memoria effodit: quibus tu, etiam mortuis, M. Marcello conſervato, dignitatem ſuam reddidiſti, nobiliſſimamque familiam, jam ad paucos redactam, pene ab interitu vindicaſti. Hunc tu igitur diem tuis maximis & innumerabilibus gratulationibus jure anteponeſ. Hæc enim res unius eſt propria Cæſaris: ceteræ, duce te, geſtæ, magnæ illæ quidem, ſed ta-

16 *Commemorabili pietate præditi*] aliquid deſiderat auris, quæ acquieſcit in *ac virtute*, quod ego genuinum puto: quomodo & exhibent Stephanus, Lambinus, Manutius.

17 *Meum pectus effodit*] ita malo cum Victorio, Lambino, Manutio, nec durum exiſtimo cum Grutero. alterum dilutum nimis & exile.

Digitized by Google

tamen, multo magnoque comitatu. hujus autem rei tu idem es & dux, & comes: quæ quidem tanta est, [18] ut tropæis monumentisque tuis allatura sit finem ætas (nihil enim est opere aut manu factum, quod aliquando non conficiat & consumat vetustas) at vero, hæc tua justitia, & lenitas animi, floreſcet quotidie magis, [19] ita ut, quantum operibus tuis diuturnitas detrahet, [20] tantum afferat laudibus. Et ceteros quidem omnes victores bellorum civilium

jam

18 *Ut tropæis monumentisque tuis allatura sit finem ætas (nihil enim est opere aut manu factum, quod non aliquando conficiat & consumat vetustas) at verò hæc tua justitia, & lenitas animi* &c.] ita hic universus legendus atque interpungendus est locus. Vitiosa distinctio vitiosam lectionem peperit, & multum illi caliginis attulit.

19 *Ita ut, quantum operibus*] τὸ *ut* è Mſſ. auctoritate delet Gruterus, non ego, nimis curta alioquin est futura periodus utraque: & familiaris est loquendi atque usitatus Ciceroni modus *ita ut, adeò ut, in tantum ut.*

Digitized by Google

jam ante æquitate & misericordia viceras; hodierno vero die te ipsum vicisti. Vereor, ut hoc, quod dicam, non perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse cogitans sentio. ipsam victoriam vicisse videris, cum ea ipsa, quæ illa erat adepta, victis remisisti. nam cum, ipsius victoriæ conditione, [21] jure omnes, victi, occidissemus, clementiæ tuæ judicio conservati sumus. recte igitur unus invictus es, à quo etiam ipsius victoriæ conditio visque devicta est.

CAP. V. Atque hoc C. Cæsaris judicium, P. C., quam late pateat,

[20] *Tantum adferat laudibus*] *adferet* è Mss. Gruterus, quod ita accipiendum, ut tollatur *ut*, quod in textum tamen recepit ὁ πάνυ.

[21] *Jure omnes victi occidissemus*] Jure omnes occisi fuissemus, tanquam victi, id enim jus habet in victos qui vicit. Quare non recte τὸ *jure* exulare hinc jubet Gulielmius.

Digitized by Google

teat, attendite. omnes enim, qui ad illa arma fato ſumus neſcio quo reipubl. miſero funeſtoque compulſi, etſi aliqua culpa tenemur erroris humani, à ſcelere certe liberati ſumus. nam, cum M. Marcellum, deprecantibus vobis, reipub. conſervavit, memet mihi, & item reip. nullo deprecante, reliquos ampliſſimos viros, & ſibi ipſis, & patriæ, reddidit: quorum & frequentiam & dignitatem hoc ipſo in conſeſſu videtis. Non ille hoſtes induxit in curiam, ſed judicavit, à pleriſque ignoratione potius, & falſo atque inani metu, quam cupiditate, aut crudelitate, civile bellum eſſe ſuſceptum. quo quidem in bello ſemper de pace [22] agen-

[22] *Agendum audiendendumque eſſe putavi*] Gruterus *audiendum putavi*, ſine copula, quod inſolens & infrequens Ciceroni. ego mallem, *agendum atque audiendum*, quod non

gendum audiendumque esse putavi, semperque dolui, non modo pacem, sed orationem etiam civium, pacem efflagitantium, repudiari. Neque enim ego illa, [23] nec ulla unquam, secutus sum arma civilia, semperque mea consilia pacis & togæ socia, non, belli atque armorum, fuerunt. Hominem sum secutus, privato officio, non, publico: tantumque apud me grati animi fidelis memoria valuit, ut nulla non modo cupiditate, sed, ne spe quidem, prudens, & sciens, tanquam ad interitum ruerem vo-

lun-

non caret suo numero. *esse putavi* versum olet, *tò que* sequitur. utrumque evitari potest, si *tò atque* interponatur. Lambinus è fide MSS *de pace audiendum putavi*, quod præferrem illi Gruteriano. malo tamen alterum.

[23] *Arma civilia*] Sequitur mox *consilia*. non est hoc notæ melioris, nec ab ipso, ut existimo, Tullio. Subit suspicio, à mala manu esse *tò civilia*, & interpretamentum *tῶ|arma. illa arma*, adscripsit nescio quis *civilia*. Sic principio hujus capitis: *Qui ad illa arma fato sumus nescio quo reip. misero funestoque compulsi.*

Digitized by Google

luntarium. Quod quidem meum consilium minime obscurum fuit. nam & in hoc ordine, integra re, multa de pace dixi, & in ipso bello, eadem etiam cum capitis mei periculo, sensi. Ex quo nemo erit tam injustus rerum æstimator, qui dubitet, quæ Cæsaris voluntas de bello fuerit, cum pacis auctores conservandos statim censuerit, cæteris, fuerit iratior. [23] Atque id minus mirum videretur fortasse tum, cum esset incertus exitus, &, anceps fortuna belli: qui vero, victor, pacis auctores diligit, is profecto declarat, maluisse se non dimicare, quam, vincere.

CAP. VI. Atque hujus quidem rei M. Marcello sum testis. nostri enim sensus, ut in pace semper, sic

23 *Atque id minus mirum videretur fortasse tum*] Retinui lectionem vulgatam, quæ mihi rotundior videtur & clarior.

tum etiam in bello congruebant. Quoties ego eum, & quanto cum dolore, vidi, cum insolentiam [24] certorum hominum, tum etiam ipsius victoriæ ferocitatem, extimescentem? Quo gratior tua liberalitas, C. Cæsar, nobis, qui illa vidimus, debet esse. non enim jam causſæ sunt inter se, sed victoriæ, comparandæ. Vidimus tuam victoriam, præliorum exitu terminatam: gladium, vagina vacuum, in urbe non vidimus. quos amisimus cives, eos Martis vis perculit, non, ira victoriæ: ut dubitare debeat nemo, quin multos, si fieri posset, C. Cæsar ab inferis excitaret; quoniam ex eadem acie conservat, quos potest. Alterius vero

[24] *Certorum hominum*] Ita omnino legendum, non *ceterorum*, ut nonnullæ perperam impressiones. Lentulum, Ahenobarbum, & similes his intelligit homines, bellum malentes, quam pacem.

Digitized by Google

vero partis, nihil amplius dicam, quam id, quod omnes verebamur, nimis iracundam futuram fuisse victoriam. quidam enim, non modo armatis, sed interdum, etiam otiosis, minabantur: nec, quid quisque sensisset, sed, ubi fuisset, cogitandum esse, dicebant: ut mihi quidem videantur Dii immortales, etiamsi pœnas à populo Romano ob aliquod delictum expetiverint, qui civile bellum tantum & tam luctuosum excitaverunt, vel placati jam, vel etiam satiati aliquando, omnem spem salutis ad clementiam victoris, & sapientiam, contulisse. Quare gaude tuo isto tam excellenti bono, & fruere, cum fortuna & gloria, tum etiam natura & moribus tuis: ex quo quidem maximus est fructus, jucunditasque, sapienti. Cetera cum tua recordabere, etsi persæpe vir-

tuti, tamen plerumque felicitati tuæ congratulabere: de nobis, quos in republ. tecum ſimul ſalvos eſſe voluiſti; quoties cogitabis, toties de maximis tuis beneficiis, toties de incredibili liberalitate, toties de ſingulari ſapientia tua cogitabis: quæ non modo ſumma bona, ſed nimirum audebo vel ſola dicere, tantus eſt enim ſplendor in laude vera, tanta in magnitudine animi & conſilii dignitas, ut hæc à virtute donata, cetera à fortuna commodata eſſe videantur. Noli igitur in conſervandis bonis viris defatigari, non cupiditate præſertim aut pravitate aliqua lapſis, ſed, opinione officii, ſtulta fortaſſe, certe non improba, & ſpecie quadam reipub. Non enim tua ulla culpa eſt, ſi te aliqui timuerunt: contraque, ſumma laus, quod plerique minime timendum fuiſſe ſenſerunt.

CAP.

Digitized by Google

CAP. VII. Nunc vero venio ad graviſſimam querelam, & atrociſſimam ſuſpicionem tuam: quæ non tibi ipſi magis, quam cum omnibus civibus, tum maxime nobis, qui à te conſervati ſumus, providenda eſt. quam, etſi ſpero eſſe falſam, numquam tamen verbis extenuabo. tua enim cautio, noſtra cautio eſt: ut, ſi in alterutro peccandum ſit, malim videri nimis timidus, quàm, parum prudens. Sed, quiſnam eſt iſte tam demens, [25] qui ſcilicet tibi inſidiaretur? de tuiſne? tametſi, qui magis ſunt tui, quàm, quibus tu ſalutem inſperantibus reddidiſti? an, ex eo numero, qui unà tecum fuerunt? non eſt credibilis tantus in ullo furor,

[25] *Qui ſcilicet tibi inſidiaretur,*] Hæc verba expungunt Lamb. & Gruterus. quam rectè, videre non poſſum. quò enim ſpectat *tam demens*? illud *tibi*, otioſum non eſt, & magnam emphaſin habet.

ror, ut, quo duce omnia ſumma ſit adeptus, hujus vitam non anteponat ſuæ. [26] At, ſi tui nihil cogitant ſceleris, cavendum eſt, ne quid inimici. qui? omnes enim, qui fuerunt, aut ſua pertinacia vitam amiſerunt, aut tua miſericordia retinuerunt, ut, aut nulli ſuperſint de inimicis, aut, qui ſuperfuerunt, amiciſſimi ſint. Sed tamen, cum in animis hominum tantæ latebræ ſint, & tanti receſſus, augeamus ſane ſuſpicionem tuam: ſimul enim augebimus & diligentiam. nam quis eſt omnium tàm ignarus rerum, tàm rudis in repub., tàm nihil unquam nec de ſua,

26 *At, ſi tui nihil cogitant ſceleris* &c.] *An* mavult Gruterus, non video ſenſum inde meliorem. Manifeſta eſt objectio, cui reſpondet proximo membro: *Qui*? &c. *At*, ſcil. *dices fortaſſe*, ut ipſius hæc Cæſaris verba ſint, quod fortius. quid quod modo præceſſit *an*?

ſua, nec de communi ſalute cogitans, qui non intelligat, tua ſalute contineri ſuam; [27] & ex unius tui, vitam pendere omnium? Equidem de te dies noctesque, ut debeo, cogitans, caſus duntaxat humanos, & incertos eventus valetudinis, & naturæ communis fragilitatem extimeſco: doleoque, cum reſpub. immortalis eſſe debeat, eam in unius mortalis anima conſiſtere. Si vero ad humanos caſus, incertoſque [28] eventus valetudinis, ſceleris etiam accedat inſidiarumque conſenſio; quem Deum, [28] etiamſi

27 *Et ex uniustui, vitam pendere omnium.*] Ita lego, quomodo & Stephani editio habet, & Lambini. Gruterus expreſſit, *& ex unius tua vita pendere omnium*, quod non video quare melius ſit.

28 *Eventus valetudinis*] *Motus* præferre videtur Gruterus, *eventus* tamen exhibet in ipſo textu, quod rectum. *caſus* & *eventus* præceſſit. utrumque hic repetit.

29 *Etiamſi cupiat*] *tò etiam* rectius omitti poſſe

cupiat, opitulari posse reipub. credamus?

CAP. VIII. Omnia sunt excitanda tibi, C. Cæsar, uni, quæ jacere sentis, belli ipsius impetu, quod necesse fuit, perculsa, atque prostrata. Constituenda judicia, revocanda fides, comprimendæ libidines, propaganda soboles: omnia, quæ dilapsa jam fluxerunt, severis legibus vincienda sunt. Non fuit recusandum in tanto civili bello, tantoque animorum ardore, & armorum, quin quassata resp., quicumque belli eventus fuisset, multa perderet & ornamenta dignitatis, & præsidia stabilitatis suæ: multaque uterque dux faceret armatus, quæ idem togatus fieri prohibuisset. Quæ quidem nunc tibi omnia belli vulnera curanda sunt; qui-

posse putat Gruterus, qui tamen id exprimit, rectè, ut ego existimo, est enim plenius.

Digitized by Google

quibus, præter te, mederi nemo poteſt. Itaque illam tuam [30] præclariſſimam & ſapientiſſimam vocem invitus audivi; ſatis te diu vel naturæ vixiſſe, vel gloriæ. ſatis, ſi ita vis, naturæ fortaſſe; addo etiam, ſi placet, gloriæ: at, quod maximum eſt, patriæ certe parum. Quare omitte, quæſo, iſtam doctorum hominum in contemnenda morte prudentiam. noli noſtro periculo ſapiens eſſe. ſæpe enim venit ad aures meas, te idem iſtud nimis crebrò dicere, ſatis te tibi vixiſſe. credo: ſed tum id audirem, ſi tibi ſoli viveres, aut, ſi tibi etiam ſoli natus eſſes: nunc, cum omnium ſalutem civium, cunctamque remp. res tuæ geſtæ complexæ ſint, tantum abes à perfectione maximorum operum, ut funda-

30 *Præclariſſimam*] *Præſentiſſimam* malit Gruterus. cauſam non video.

menta, quæ cogitas, nondum jeceris. Hic tu modum tuæ vitæ, non, salute reip., sed, æquitate animi, definies? quid, si istud ne gloriæ quidem tuæ satis est? cujus te esse avidissimum, quamvis sis sapiens, non negabis. [31] Parumne igitur, inquies, gloriam magnam relinquemus? immo vero aliis, quamvis multis, satis: tibi uni, parum. quidquid enim est, quamvis amplum sit, id certe parum est tum, cum est aliquid amplius. Quod si rerum tuarum immortalium, C. Cæsar, hic exitus futurus fuit, ut, devictis adversariis, rempub. in eo statu relinqueres, in quo nunc est: vide, quæso, ne tua divina virtus admirationis plus sit habitura, quàm

31 *Parumne igitur, inquies, gloriam magnam relinquemus?*] Recte se habet hic locus, nec quicquam immutandum existimo. parumne igitur magnam gloriam relinquemus?

quàm gloriæ. ſi quidem gloria eſt, illuſtris, ac pervagata multorum & magnorum, [32] vel in ſuos, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum.

CAP. IX. Hæc igitur tibi reliqua pars eſt: hic reſtat actus: in hoc elaborandum eſt, ut remp. conſtituas, eaque tu in primis compoſita, ſumma tranquillitate & otio perfruare. Tum te, ſi voles, cum & patriæ, quod debes, ſolveris, & naturam ipſam expleveris ſatietate vivendi, ſatis diu vixiſſe, dicito. Quid eſt enim omnino hoc ipſum diu, in quo eſt aliquid extremum? quod cum venerit, omnis voluptas præterita pro nihilo eſt, quia poſtea nulla futura

[32] *Vel in ſuos, vel in patriam* &c.] Ita expreſſi cum Grutero, rejecta voce *cives*. Per *ſuos* neceſſarios & amicos intelligit; ſub *patriam*, *cives* comprehendit: quod ſi retineatur, bis idem dicit.]

ra ſit. quanquam iſte tuus animus nunquam his anguſtiis, quas natura nobis ad vivendum dedit, contentus fuit, ſemperque immortalitatis amore flagravit. 33 Nec vero hæc tua vita ducenda eſt, quæ corpore & ſpiritu continetur. illa, inquam, illa vita eſt tua, Cæſar, quæ vigebit memoria ſeculorum omnium, quam poſteritas alet, quam ipſa æternitas 34 ſemper intuebitur. huic tu inſervias, huic te oſtentes oportet: quæ

33 *Nec vero hæc tua vita ducenda eſt*] Ita potius, quam *dicenda*, cum Grutero legendum puto non debemus exiſtimare hanc eſſe vitam tuam, tibi propriam ac peculiarem, quam omnes homines vivunt; alia tibi vita vivenda eſt, quam poſt mortem vives, in ore & memoria omnium.

34 *Semper intuebitur*] Id malim, quam *tuebitur*. Id enim multo eſt fortius. Hanc vitam tuam ſibi in exemplum ſumet omnis poſteritas. Gruteri notam non capio, in *intuebitur* enim creſcit oratio, non in *tuebitur*.

Digitized by Google

quæ quidem, quæ miretur, jampridem multa habet: nunc, etiam quæ laudet, exſpectat. Obſtupeſcent poſteri certe, imperia, provincias, Rhenum, Oceanum, Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias, monumenta, munera, triumphos, audientes & legentes tuos. Sed, niſi hæc urbs ſtabilita tuis conſiliis & inſtitutis erit, vagabitur modo nomen tuum longe atque late: ſedem quidem ſtabilem & domicilium certum non habebit. Erit inter eos etiam, qui naſcentur, ſicut inter nos fuit, magna diſſenſio; cum alii laudibus ad cœlum res tuas geſtas efferent, alii fortaſſe aliquid requirent, idque vel maximum, niſi belli civilis incendium ſalute patriæ reſtinxeris: ut illud fati fuiſſe videatur; hoc, conſilii.

CAP.

Digitized by Google

CAP. X. Servi igitur iis etiam judicibus, qui multis post sæculis de te judicabunt, & quidem haud scio, an incorruptius quam nos. Nam & sine amore & sine cupiditate, & rursus sine odio, & sine invidia judicabunt. Id autem, etiamsi tunc ad te, ut quidam falso putant, non pertinebit; nunc certe pertinet, te esse talem, ut tuas laudes obscuratura nulla unquam sit oblivio. Diversæ voluntates civium fuerunt, distractæque sententiæ. non enim consiliis solum, & studiis, sed armis etiam, & castris dissidebamus. Erat autem obscuritas quædam, erat certamen inter clarissimos duces: multi dubitabant, quid optimum esset: multi, quid sibi expediret: multi, quid deceret: nonnulli etiam, quid liceret. Perfuncta resp. est hoc misero fatalique bello: vicit

is,

Digitized by Google

is, qui non fortuna inflammaret odium ſuum, ſed, bonitate leniret; [35] nec qui omnes, quibus iratus eſſet, eoſdem etiam exſilio, aut morte dignos judicaret. Arma ab aliis poſita, [36] aliis erepta ſunt. ingratus eſt, injuſtuſque civis, qui, armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum: ut etiam ille ſit melior, qui in acie cecidit, quam [37] qui in cauſſa animam profudit. quæ enim pertinacia eſt quibuſdam, eadem aliis con-

35 *Nec qui omnes* &c.] *Neque* alii. ſed hoc fortius recte putat Gruterus.

36 *Aliis erepta ſunt*] Ita malo, cum Gulielmio, non *ab aliis*.

37 *Qui in cauſa animam profudit*] Rectam eſſe hanc lectionem exiſtimo. In cauſa vitam perdit, qui ut Pompejanus occiditur; idque in ipſa acie; eſt enim amplificatio, & ſuperioris membri confirmatio: licet enim multi hunc pertinacem; multi rurſum fortaſſe conſtantem appellabunt.

Digitized by Google

conſtantia videri poteſt. [38] Sed quia jam omnis fracta diſſenſio eſt armis, & exſtincta æquitate victoris: reſtat, ut omnes unum velint, qui modo habent aliquid non ſolum ſapientiæ, ſed etiam ſanitatis: [39] quia, niſi te, C. Cæſar, ſalvo, & in iſta ſententia, qua cum antea, tum hodie vel maxime uſus es, manente, ſalvi eſſe non poſſumus. Quare omnes te, qui hæc ſalva eſſe volumus, & hortamur, & obſecramus, ut vitæ, ut ſaluti tuæ conſulas: omneſque tibi, (ut pro

[38] *Sed, quia jam omnis fracta diſſenſio eſt*] Et hanc lectionem veriorem puto, magis enim cohæret, magiſque ligat orationem. Utramque exhibent Stephani & Lambini editiones.

[39] *Quia, niſi te, C. Cæſ. ſalvo*] τὸ *quia* exterminat rurſum Gruterus, quo modo nec hîc ſatis apte cohæret oratio. Mallem, ſi quid eſſet mutandum, & ſi per manuſcriptos libros liceret, *niſi enim te, C. Cæſar, ſalvo* &c.

Digitized by Google

pro aliis etiam loquar, quod de me ipſe ſentio, quoniam ſubeſſe aliquid putas quod cavendum ſit, non modo excubias, & cuſtodias, ſed etiam laterum noſtrorum oppoſitus, & corporum, pollicemur.

CAP. XI. [40] Sed, ut, unde eſt orſa, in eodem terminetur oratio mea, maximas tibi omnes gratias agimus, C. Cæſar; majores etiam habemus. Nam omnes idem ſentiunt: quod ex omnium precibus & lacrymis ſentire potuiſti. [41] Sed, quia non eſt [42] aſtantibus omnibus

C

[40] *Sed ut, unde eſt orſa* &c.] Ita vulgatæ editiones, quomodo melius cohærere videtur oratio, quam ſi abjiciatur τὸ *ut*. Sed rectius cum *agimus* jungitur, quam cum *terminetur*. nec video, cur τὸ *mea*, rejici debeat.

[41] *Sed quia non eſt* &c.] Mſſ. *Et*, quod præfero, propter ſimilitudinem tranſitionis, quæ modo præceſſit.

[42] *Adſtantibus omnibus*] *Stantibus* malunt Gru-

bus neceſſe dicere, à me certe dici volunt, cui neceſſe eſt quodammodo, & quòd volunt, [43] & quòd, M. Marcello à te huic ordini populoque Rom. & reip. reddito, præcipue id à me [44] fieri debere intelligo. Nam lætari omnes, non, ut de unius ſolum, ſed, ut de communi omnium ſalute, ſentio. Quod autem ſummæ benevolentiæ eſt, quæ mea erga illum omnibus ſemper nota fuit, ut vix C. Marcello, optimo & aman-

Gruterus & Gulielmius, ex more veterum Senatorum.

43 *Et quòd decet*] Ita libri Mſſ. *quod* hic eſt *quia*, unde cum Grutero virgula notavi.

44 *Fieri debere intelligo.*] Ita lego cum vulgatis, quod & planius & rotundius. Gruteri editio omittit τὸ *debere*, item verba illa præcedentia, *præcipue id à me*, quod quem ſenſum efficiat, non ſatis percipio. *à me dici volunt*, *à me præcipue fieri id* ipſum *debere*, propter rationes allatas, *intelligo*. Quid ſimplicius, aut apertius?

Digitized by Google

amantiſſimo fratri, præter eum quidem, cederem nemini: cum id ſollicitudine, cura, labore, tamdiu præſtiterim, quamdiu eſt de illius ſalute dubitatum: certe hoc tempore, magnis curis, moleſtiis, doloribus liberatus, præſtare debeo. Itaque, C. Cæſar, ſic tibi gratias ago, ut omnibus me rebus à te non conſervato ſolum, ſed etiam ornato, tamen ad tua innumerabilia in me unum merita, quod fieri jam poſſe non arbitrabar, maximus hoc tuo facto cumulus acceſſerit.

ELOQUENTIÆ EXTERIORIS SPECIMEN ALTERUM.

CAP. I.

Diuturni ſilentii, P. C.] Hæc lentè, & continuato ſpiritu pronuntianda ſunt. Lentè, quia principium eſt orationis: continuato ſpiritu, quia *ſilentium* indicat, & quidem *diuturnum*. *P. C.* ante & poſt ſe comma requirit, & ſubmiſſiore voce efferendum eſt, eos enim alloquimur, quos decenter, & parvo corporis motu alloqui decet.

Quo eram his temporibus uſus,] Uno ſpiritu, & medio tono.

Non, timore aliquo,] Poſt *non* ſemicomma ponendum, ut & poſt *ſed*, quod ſequitur. *Timore aliquo* ſubmiſſe pronuntiandum. eſt enim timentis.

Sed,

Digitized by Google

Sed, partim dolore, partim verecundia,] Utrumque hoc membrum ſubmiſſe quoque efferendum eſt: illud enim dolorem, hoc verecundiam exprimit. *Sed* in medio ponendum, *dolore* à ſiniſtrâ parte, *verecundia* à dextrâ, ſi non manu, at parva certe inclinatione capitis.

Finem hodiernus dies attulit.] Hæc pleniore paullulum voce ſunt proferenda, ut ſignificet, finem jam ſilendi eſſe, & loquendi denuo tempus adveniſſe. Si quis ad hæc verba leniter manum velit exſerere, rem non male expreſſerit. Prima in *finem* protrahenda paullulum, ut res tanto melius repræſentetur.

Idemque, initium,] Idem dies attulit initium. Quare poſt *idem* comma ponendum, ut ad *dies*, non ad *initium*, referatur. Poſt *initium* paullo amplius ſpatium requiritur, quam poſt *idem*, *attulit* enim ſubintelligitur, & oſtendunt deinde verba ſequentia, quale ſit illud *initium*.

Quæ vellem, quæque ſentirem,] Prius à ſiniſtrâ, poſterius à dextrâ parte ponendum eſt.

Meo priſtino more dicendi.] Veterem ſuam in dicendo confidentiam his verbis ſignificat, quare confidenter ea, & pleniore etiam voce, quam illa, *finem hodiernus dies attulit*, ſunt pronuntianda, amplius enim aliquid dicit, quam modo dixerat.

Tantam enim manſuetudinem,] Prius vocabulum paullo fortius, poſterius paullo tranquillius, & majore cum manſuetudine proferendum eſt.

Tam inuſitatam inauditamque clementiam,] Tardè hæc pronuntianda, ut magnitudo clementiæ oſtendatur, quò & inſerviunt longa vocabula & producta, præſertim in *inauditam*, ubi penultima audiri debet.

Tantum in ſumma poteſtate rerum omnium modum,] Hæc uno tenore efferre oportet, & quidem medio, notant enim *modum* & mediocritatem, præter verba illa media, *in ſumma poteſtate*, quæ paullo altius proferri debent. Auget enim admirationem, in tanta eum poteſtate modum tenere potuiſſe. In poſterioribus illis verbis manus ſe cum voce attollit, in prioribus à ſiniſtrâ in dex-

dextram leniter ſeſe commovet, & eum, de quo loquitur, modum ſervat.

Tam denique incredibilem ſapientiam, ac penè divinam,] Aſſurgit Oratio, & cum illâ vox, præcipuè in *incredibilem* & *divinam*, in quibus τὸ *di* & τὸ *vi* rei naturam ad vivum exhibet, & paullo propterea altius efferendum eſt.

Tacitus nullo modo præterire poſſum.] Hæc ſono depreſſiore ſunt proferenda, quæ res miram & jucundam parit varietatem, ubi vox ex altiore illo tono *vi*, ſponte & naturali quodam modo deſcendit in *ta:* litterâ enim *i* nulla acutior, *â* nulla gravior.

M. enim Marcello vobis, P. C. reique publ. reddito,] Inter *Marcello* & *vobis* ſemicomma ponendum, ut ſenſus ſit apertior. *Vobis reddito. Vobis* & *reip.* eodem modo dicendum. *P. C.* ut in principio.

Non ſolum illius, ſed meam etiam vocem, & auctoritatem,] Τὸ *illius* & *meam* ſeſe reſpiciunt; utrumque emphaſin habet. In *illius* à corpore recedit, in *meam* ad corpus ſe applicat manus. *Vocem* & *auctoritatem* paullo plenius effe-

rendum, ut utramque se habere ostendat. τὸ & paullo obscurius dicendum est, tum quòd synonyma sunt, idemque significant, *vox* & *auctoritas*, tum ob & illud duplex, quod sequitur, & clarius paullo audiri debet; rem enim auget, & ad augendum additum est.

Conservatam ac restitutam puto.] *Ac* potius dicit, quam &, ut hoc obiter moneam, quoniam jam ter illud præcesserat. Pleno hæc spiritu pronuntianda sunt. Syllabæ *va* & *tu* præ ceteris audiri debent, in iis enim vox & periodus acquiescit.

Dolebam enim, P. C. ac vehementer angebar,] Prius illud lentè, & cum sensu doloris, posterius paullo acrius ac vehementius pronuntiandum est.

Cum viderem virum talem,] Vox postrema præ ceteris audiri debet, in ea enim laus viri.

Tum in eadem causa, in qua ego fuissem,] Τὸ *causa* respicit τὸ *fortuna*. Utrumque cum emphasi pronuntiandum: ut & τὸ *ego*, quod Marcello opponitur.

Non in eadem esse fortuna.] *Non esse* op-

opponitur τῷ *esse*. Quare & hoc exprimendum, in eo enim consistit rei indignitas. τὸ *eâdem* & hic, & in priore membro, non omittendum: auget enim indignationem.

Nec mihi persuadere poteram, nec fas esse ducebam,] Prius lenius, posterius paullo fortius efferendum est, & cum quadam indignatione.

Versari me in nostro veteri curriculo,] Caussarum & laborum forensium; quod prolata ante pectus manu exprimendum, ut repræsentetur quasi illud curriculum.

Illo] Hic comma pono, ut ad *socio* & *comite* referatur. *Illo, qui fuit æmulus* &c. quasi hæc adessent.

Æmulo atque imitatore studiorum ac laborum meorum,] Hæc plena & clara voce efferri debent, expansa & in formam circuli formata manu. Audiatur præ ceteris canorum illud in *orum*, quod ter repetitur, & mira aurem suavitate perfundit.

Socio à me & comite distracto] *Socio* & *comite*, à *me* & *distracto*, sejungi in pronuntiando debent.

Ergo & mihi meæ priſtinæ vitæ conſuetudinem, C. Cæſar, intercluſam aperuiſti,] *Et mihi* reſpicit *& his omnibus.* Utrumque audiatur oportet, *meæ priſtin. vit. conſuet.* uno tenore proferendum, ut continuus actus. Ad illa, *C. Cæſar*, & vox & corpus ſubmitti paullulum debet, ut in *P. C.* Sed paullo ſubmiſſius etiam, quoniam in eo omnia. *Claudere* & *aperire* contraria ſunt, quare illud depreſsâ voce & manu, hoc utrâque in altum ſublatâ eſt repræſentandum.

Et his omnibus,] Eo modo, quo dixi, expanſis & apertis manibus.

Ad bene de omni rep. ſperandum,] Hæc pronis manibus efferenda, ut certitudo ſpei iſtius oſtendatur, & anchora, ſpei ac fiduciæ ſignum, in terram quaſi figatur.

Quaſi ſignum aliquod ſuſtuliſti.] Hæc & voce & manu in altum ſublatâ ſunt exhibenda: contraria enim res contrarios geſtus requirit.

Intellectum eſt enim mihi quidem in multis, & maxime, in me ipſo,] Poſt *enim* dimidiatum comma ponendum, propter illud quod ſequitur, *omnibus. In me ipſo,*

ipſo, paullo fortius efferendum.

Sed paullo ante omnibus] Scil. *intellectum*, quare poſt *ante* ſemicomma rurſum ponendum, ut id intelligatur.

Cum M. Marcellum Senatui, populoque Rom. & reip. conceſſiſti,] Hæc uno ſpiritu pronuntiari debent, ut magnitudo principis populi repræſentetur.

Commemoratis præſertim offenſionibus,] Hæc attolli paullulum debent, quo magis oſtendatur ejus clementia.

Te auctoritatem hujus ordinis, dignitatemque reip. tuis vel doloribus vel ſuſpicionibus anteferre.] Priora hæc plenâ voce, & ſpatiante in orbem manu efferre oportet. *doloribus* à ſiniſtro ponerem, *ſuſpicionibus* à dextro, *anteferre* in medio. in hoc ultimo verbo & vox & manus aſſurgit.

Ille quidem fructum omnis anteactæ vitæ hodierno die maximum cepit,] In *omnis anteactæ vitæ* ſe extendit cum voce utraque manus; quæ in *hodierno die* ſe deprimit, in *maximum* ſe attollit, & in illo præſens tempus, in hoc, rei magnitudinem indicat.

Cùm ſummo conſenſu Senatus,] Qui utrâque

trâque manu apertâ oſtenditur, & præſens eſſe ipſis quaſi digitis demonſtratur.

Tum præterea judicio tuo,] Laudat Cæſarem, ejuſque judicium Senatus judicio præfert. Attollenda itaque vox *tuo*, & cum emphaſi proferenda, quod & τὸ *præterea* indicat, pondus enim addit prioribus.

Graviſſimo & maximo.] Non levis ponderis eſſe debere ſignificat judicium Cæſaris, ſed pro *graviſſimo* & *maximo* habendum, quare & hæc ἐμφαλικῶς dicenda, ut *tuo*, cujus ſunt explicatio.

Ex quo profecto intelligis, quanta in dato beneficio ſit laus, cum in accepto tanta eſt gloria.] Qui accepit, eſt Marcellus; qui dedit, Cæſar. Majus autem eſt dare, quam accipere. Quare τὸ *dato* à dextrâ parte, τὸ *accepto* à ſiniſtrâ ponendum: *tanta gloria* in medio collocandum, quæ ex utroque quaſi redundat, quod & voce & geſtu ſignificandum.

Eſt verò fortunatus ille, cujus ex ſalute non minor pene ad omnes, quam ad illum ventura ſit, lætitia pervenerit.] Ait omnes non minus propemodum gaudere, quam

quam ipſum Marcellum. In *omnes* ſe expandit manus, in *ad illum* ſe contrahit, & corpori leniter admovetur, in *pervenerit* ſe rurſum diffundit, & lætitiam iſtam à ſe in alios transfert.

Quod ei quidem merito atque optimo jure contigit.] Quale ſit jus illud, quod habet, oſtendunt adjuncta epitheta, quæ propterea ſuam habere emphaſin debent.

Quis enim eſt illo, aut nobilitate, aut probitate, aut optimarum artium ſtudio, aut innocentia, aut ullo genere laudis, præſtantior?] In his miram vox & geſtus habent varietatem. τὸ *nobilitate* à ſiniſtro latere colloco; *probitate*, à dextro; *optimarum artium ſtudio*, in medio, ſed ſublata voce & manu, ad exprimendam iſtarum artium dignitatem; *innocentia*, in medio quoque, ſed terram verſus, & expanſis leniter manibus, ad miſericordiam commovendam; *ullo genere laudis*, in medio item, ſed inter hæc duo, ante pectus loquentis, coëuntibus inter ſe manibus, vel utroque indice potius, quomodo priora illa omnia in unum veluti contrahuntur, &

ad

ad vivum singula repræsentantur. *Quis enim est illo*, & deinde in fine, *præstantior*, se respiciunt mutuo, unde post *illo* comma posui. In utroque est vis interrogationis, & ad formam interrogantis se componit manus, expansa scilicet, & explicata, ut in præcedenti oratione est annotatum.

CAP. II.

Nullius tantum est flumen ingenii,] τὸ *flumen* protrahi debet, ac si esset geminum *u*, quod fluxum fluminis, & naturam rei non inconcinnè repræsentat.

Nulla dicendi, aut scribendi, tanta vis, tantaque copia,] *Dicendi* ac *scribendi*, *vis* & *copia* suam habent emphasin, & paullo fortius exprimi debent, ut vel ipsa indicant verba.

Quæ, non dicam exornare, sed, enarrare, C. Cæsar, res tuas gestas possit.] Ait, vix historico, nedum oratorio modo, laudes ejus exprimi posse. Quapropter τὸ *exornare* & τὸ *enarrare* audiri præ ceteris debent; prius istud fortius, quo-

quoniam majus; alterum ſubmiſſius, quoniam minus; quod tamen ipſum vix fieri poſſit, tantæ ſunt ejus res geſtæ. Poſt *quæ* comma pono, ad augendum τὸ ἀπροσδόκητον, inexſpectatum, & inopinatum. Item, poſt *ſed*, quoniam ſubintelligitur *dicam*.

Tamen hoc affirmo, & hoc pace dicam tua,] τὸ *affirmo* fortius, τὸ *pace* lenius & ſubmiſſius eſt proferendum, productâ paullulum ſyllabâ primâ.

Nullam in his eſſe laudem ampliorem quàm eam, quam hodierno die conſecutus es.] Hæc omnia plena & gravi voce pronuntianda ſunt, imprimis illa poſtrema, quæ eminere præ ceteris debent, quoniam totius orationis argumentum continent.

Soleo ſæpe ante oculos ponere, idque libenter crebris uſurpare ſermonibus,] Hæc paullo negligentius ſunt dicenda, quaſi quæ inter familiares amicos dicantur, & ut tanto magis emineat illud quod ſequitur.

Omnes noſtrorum imperatorum, omnes exterarum gentium, potentiſſimorumque populorum, omnes clariſſimorum regum res ge-

gestas,] Singula, de quibus hic sermo, cum emphasi proferenda, *imperatorum, gentium, populorum, regum*, nec omittenda epitheta, quæ plurimum sæpe ponderis habent. Prius eorum, quæ dixi, in medio poni debet quod & τὸ *nostrorum* significat; secundum & tertium extenta in circulum manu repræsentari, quartum & ultimum, adscendit enim oratio; paullo fortius pronuntiari.

Cum tuis, nec contentionum magnitudine, nec numero præliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum, posse conferri.] *Cum tuis* respicit præcedentia, res illorum sc. item futura, *posse conferri*; quare attolli hæc paullo altius debent, ut eorum res gestas superent, & præ illis emineant. In quibus vero emineant, exhibet in sequentibus, quæ clare propterea, & emphatice exaudiri debent. Post *nec* semicomma ponendum, ut cetera melius audiantur. *celeritate conficiendi* paullo celerius proferendum est.

Nec vero disjunctissimas terras citius cujusquam passibus potuisse peragrari, quam tuis,

tuis, non dicam curſibus, ſed, victoriis, illuſtratæ ſunt.] Hæc verba ſingulares geſtus requirunt. Primo τὸ *nec* obſcurius pronuntiandum, ob complura illa *nec*, quæ præceſſerunt, & majorem emphaſin habere neceſſario debuerunt. Deinde in *diſjunctiſſimas terras* ſe dilatat vox & manus. In *paſſibus* vero, *curſibus*, & *victoriis*, τὸ ire, τὸ currere, & volare, exprimendum eſt, alata enim Victoria, quod ita commode fiet, ſi in priore illo duo utriuſque manus Indices ſe verſus terram convertant, ut duos quaſi pedes exhibeant; in ſecundo, manus unà cum digitis protendi debent paullo celerius, ut curſum exprimant; in tertio illo utraque manus, vel utrumque brachium potius, ſe in altum attollunt, ut duas veluti alas repræſentent; quæ tria ſine ullo labore, & facillimo plane negotio fieri poſſunt. Poſt *tuis* comma pono, propter τὸ ἀπροσδόκητον, ut modo dixi; ut & poſt *ſed*, quia τὸ *dicam* ſubintelligitur; ſimul ad augendam admirationem. Poſt *victoriis* item comma ſtatuendum, quia, quod ſequitur, tam priora reſpicit,

quam illud posterius. *τὸ illustratæ sunt*, clara & illustri voce proferendum est.

Quæ quidem ego nisi ita magna esse fatear, ut ea vix cujusquam mens, aut cogitatio capere possit, amens sim,] Hæc lenta voce, & sublatis in cœlum oculis, pronuntianda sunt, sunt enim cogitantis. Quanquam enim nihil sit cogitatione celerius, modum tamen cogitandi lentum esse oportet, & gravem.

Sed tamen sunt alia majora.] Postremum illud vocabulum paullo altius efferendum est, ut umbram faciat ceteris.

Nam bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, easque detrahere ducibus, communicare cum militibus, ne propria sint Imperatorum.] *Τὸ bellicas* excellere debet, quoniam opponitur reliquis laudibus, pacis scilicet. *Τὸ extenuare*, item *detrahere* extenuandum est, & paullo submissius pronuntiandum: illud vero quod sequitur, fortius, ut imperatorum dignitas repræsentetur, & præconditione militum extollatur.

Et certe, in armis, militum virtus, lo-

locorum opportunitas, auxilia ſociorum, claſſes, commeatus, multum juvant.] Poſt *certe* comma poſui, quoniam reſpicit *multum juvant*; poſt *armis*, item, quaſi dicat, *quantum ad arma*, ubi brevis requiritur mora. Singula porro membra, quæ ſubſequuntur, peculiarem ſuam habere emphaſin debent, & diſtincte pronuntiari; geſtu præterea exhiberi, & quaſi depingi, ut adventientes illas copias noſtris veluti oculis contemplemur.

Maximam vero partem, quaſi ſuo jure, Fortuna ſibi vindicat, & quicquid eſt proſpere geſtum, id penè omne ducit ſuum.] Fortuna plus ſibi vindicat, quam priora illa omnia; quare & hoc fortius exprimi debet. *Suo jure, ſibi, ſuum*, peculiarem ſibi emphaſin vindicant, & manu pectori applicata exhiberi volunt.

At vero, hujus gloriæ, C. Cæſar, quam es paullo ante adeptus, ſocium habes neminem.] Poſt *vero* comma poſui, quaſi eſſet, *quantum vero ad hanc gloriam*; unde patet τὸ *hujus gloriæ* paullo fortius eſſe exprimendum, opponitur

enim gloriæ bellicæ, cui & præfertur. Illud *neminem* non omittendum, mire enim ad rem facit.

Totum hoc, quantumcunque eſt, quod certè maximum eſt, totum eſt, inquam, tuum.] *Totum, quantumcunque, maximum*, & deinde rurſum *totum* & *tuum*, ἐμφατικῶς proferenda ſunt, aſſurgente voce & manu. Τὸ *inquam* ut eſt inter duo commata, ita & iſto modo audiri debet, hoc eſt, paullo ſubmiſſius.

Nihil ſibi ex iſta laude centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit.] Singula cum emphaſi efferenda ſunt, & ad ſiniſtram & dextram collocanda, ut diximus regula XXII. τὸ *decerpit* paullo lentius proferendum, ut ne minimum quidem inde decerpi poſſe appareat.

Quin etiam illa ipſa, rerum humanarum domina, Fortuna, in iſtius ſe ſocietatem gloriæ non offert:] Adſcendit altius, & ne Fortunam quidem quicquam ſibi vindicare poſſe affirmat. *Illa ipſa, Fortuna* ſcil. quæ eſt, *rerum humanarum domina*; unde commatibus hæc diſtinxi, præſertim poſt *domina* ne con-

jun-

jungatur cum *Fortuna*, quod ſenſum ineptum efficit, & ridiculum. Adſcendat itaque vox oportet, & cum voce manus, in *illa ipſa*, in *domina*, & imprimis in *Fortuna*, quaſi dicat, *quæ eſt*, *quæ vocatur*, *Fortuna*. In ſequentibus vero paullulum ſe ſubmittit vox, neque in ſocietatem iſtius gloriæ venit.

Tibi cedit: tuam eſſe totam, & propriam, fatetur.] Retrocedit hic aliquantum vox; & cum voce manus, immo & totum corpus, ſi ſinit locus: unde apparet, quantum habuerint commodi antiqua illa Oratorum roſtra, in quibus ambulabant, & nunc retro corpus inclinare, nunc greſſum addere poterant, quæ immanè quantum faciunt ad augendam fidem. Illud *totam* & *propriam*, non omittendum, quod & propterea commate ſeparavi. Geſtus hîc requiritur concedentis, & illi, cui convenit, tribuentis, ſupinâ ſcilicet, & porrectâ manu.

Nunquam enim temeritas cum ſapientia commiſcetur, nec ad conſilium caſus admittitur.] *Temeritas* à ſiniſtrâ, *ſapientia* à dextrâ conſtitui debet, juxta reg.

XXI. pari modo, ſed retrogrado ordine, ſeſe res habet, in *conſilium* & *caſus*, quorum illud à dextrâ, hoc à ſiniſtrâ, eſt collocandum.

CAP. III.

Domuiſti gentes, immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes:] Tò *gentes* pono in medio. De iis duo dicit, *immanitate* fuiſſe *barbaras*, *multitudine innumerabiles*, *locis infinitas*, &c. quorum primum à ſiniſtrâ, alterum à dextrâ ponendum, & ſemicommate ſeparandum. In poſterioribus autem membrorum partibus, *barbaras*, *innumerabiles*, *infinitas*, ſe attollit vox, & dilatat, præſertim in duabus ultimis, in quibus *ra* & *ni* præ ceteris audiri debent.

Sed tamen, ea viciſti, quæ & naturam, & conditionem, ut vinci poſſent, habebant.] Hæc ſunt ratiocinantis, & rem ſuo pretio æſtimantis. Quare lentè hæc rurſum efferenda, & cum examine. Poſt *tamen* pono comma, quaſi eſſet,

eſſet, *ſed tamen, ſi rem recte perpendamus*; aliqua ergo mora requiritur. *Ea victiſti*, in medio colloco, ut &, *quæs naturam*, à ſiniſtrâ, *conditionem*, à dextrâ; *ut vinci poſſent*, in medio, ſupra pectus; *habebant*, ibidem, infra pectus. Ita quaſi ad oculum res demonſtratur. Non negligendum vero geminum *&*, quod non fruſtra poſitum eſt, & mire facit ad amplificandum.

Nulla eſt enim vis tanta, quæ non ferro ac viribus debilitari frangique poſſit.] Tò *tanta* ſuam habet emphaſin, quare & poſtponi malim. In *ferro* ac *viribus* forti voce opus eſt, fortiore etiam in *debilitari* & *frangi*, in quorum ultimo ipſæ nobis litteræ, *a* & *r*, iſtam propemodum fractionem, & rei ipſius imaginem, exhibent: quod tanto nobis clarius apparebit, ſi geſtu hæc commodo repræſententur, manibus ſibi mutuo occurrentibus, ab inferiore parte dextrâ, à ſuperiore ſiniſtrâ, ut ita quaſi comprehendant aliquid, infringantque: quo pacto rem non audire ſolum, ſed & oculis noſtris intueri videbimur.

Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare,] Prima in *animum* debet paullulum produci, quasi esset, *animum vero.* In his autem verbis triplex est antithesis, quam necessario audiri, quam & gestu repræsentari oportet. Tò *vincere* paullo fortius dicendum. In *iracundiam*, item in *victoriam*, assurgit & vox & manus, & quidem celeriter, pro rei natura, nemo enim lentè irascitur: in *cohibere* & *temperare*, plane contrario agendum est modo, ut nimius iste impetus sufflaminetur. *Iracundiam* præterea à parte sinistrâ, *victoriam* à dextrâ colloco.

Adversarium, nobilitate, ingenio, virtute præstantem, non modo extollere jacentem, sed etiam amplificare ejus pristinam dignitatem;] Comma posui post primum vocabulum, ut tantò sit evidentius, quod de eo prædicatur. Tria autem sunt, quæ dicuntur, quæ singula suam habere emphasin debent, adscendente aliquantulum voce. In *extollere* se extollit manus, in *jacentem* deprimit, ut vel ex ipsis vocabulis patet, sed celeriter id fieri debet, ut res ad vi-

vivum repræſentetur. Alterum ſit ſupina manu, alterum prona. In *amplificare* & manus & vox ſe dilatat, ita ut τὸ *ca* ante omnia audiatur. Verba illa ultima, *priſtinam dignitatem*, ampla voce, & cum dignitate ſunt proferenda.

Hæc qui faciat, non ego eum cum ſummis viris comparo, ſed ſimillimum Deo judico.] Nimis hic aperta eſt comparatio, quàm ut quenquam fugere poſſit. In *ſummis viris* adſcendit in altum vox & manus, verſus partem ſiniſtram; in *Deo*, verſus dextram, altiore tono & lenta ac gravi voce, de re quippe gravi, immo graviſſima: quod ut rectius fiat, protrahenda eſt ſyllaba prima. Poſt *ſed* aliquantulum moræ pono, quaſi eſſet, *ſed, quod multo eſt majus, ipſi Deo.* τὸ *ſimillimum* non debet hîc præteriri, ſed cum *Deo* conjungi, ut appareat, cui comparetur.

Itaque, C. Cæſar, bellicæ tuæ laudes celebrabuntur illæ quidem non ſolum noſtris, ſed penè omnium gentium litteris atque linguis.] Τὸ *bellicæ* habet emphaſin, opponitur enim aliis laudibus. In *cele-*

Digitized by Google

brabuntur ſe dilatat vox, in *non ſolum noſtris*, ſe contrahit, applicita pectori manu, in *penè omnium gentium* &c. ſe rurſum diffundit & explicat, exſpatiantibus in latera manibus. Poſt *quidem* brevem pauſam facio, item poſt *ſed*, quaſi eſſet, *quod multò præclarius*, aut ſimile quid.

Neque ulla unquam ætas de tuis laudibus conticeſcet.] Rem ulterius extendit: quare & vox & manus ſe unà quoque extendant oportet. In *conticeſcet* ſuaviſſime vox quieſcit.

Sed tamen ejuſmodi res, neſcio quomodo, etiam dum audiuntur, aut dum leguntur, obſtrepi clamore militum videntur, & tubarum ſono.] Verba ſingularia, ſingulari quodam modo pronuntianda & repræſentanda. *Sed tamen ejuſmodi res* in medio debet poni, ut ſubjecta materia, *neſcio quomodo*, paullo negligentius dici, ſublata paullulum voce & manu; *dum audiuntur*, à ſiniſtrâ parte; *dum leguntur*, à dextrâ; *obſtrepi*, rurſus in medio; *clamore militum* ad lævam; *tubarum ſono*, ad dextram, collocari conveniet, forti & gravi voce, ut & hominum

minum & tubarum imprimis ſonus repræſentetur. Si quis ad hæc ultima verba dextræ pugnum contrahere, brachium paullo attollere, ac tubam inflantis geſtum ſimulare velit, dum id commode & ex arte fiat, non repugno magnopere. Obſervandæ itidem litteræ, *u*, *a*, *r* & *o*, quæ hunc ipſum tubarum ſonum noſtris veluti auribus ſiſtunt; unde *&* potius, quam *ac*. quod alioquin fortius, dicere maluit Tullius, nequid *a* in *tubarum* roboris perderet, quam ibi plenius litteram vult exaudiri.

At vero, cum aliquid clementer, manſuetè, juſtè, moderatè, ſapienter factum,] Hæc omnia pacate & tranquille ſunt pronuntianda, ut ipſa verba ſignificant, quæ toni diverſitas miram in auribus ſuavitatem parit. Quonam hæc geſtu ſeparari ac dividi debeant, docebit regula XXII.

In iracundia præſertim, quæ eſt inimica conſilio, & in victoria, quæ natura inſolens & ſuperba eſt, aut audimus, aut legimus,] Hæc eodem modo pronuntianda & repræſentanda, quo illa ſuperiora,

ra, *iracundiam cohibere*, &c. Item illa, *dum audiuntur*. Cum enim res ſit eadem, eadem vox, idemque ſit geſtus oportet. Prioribus illis ſuperadditur, quod natura iracundiæ & victoriæ deſcribatur, *quæ eſt inimica conſilio*, *quæ natura inſolens & ſuperba eſt*, quæ verba paullo altius attolli, paulloque celerius pronuntiari debent.

Quo ſtudio incendimur, *non modo in geſtis rebus*, *ſed etiam in fictis*, *ut eos ſæpe*, *quos nunquam vidimus*, *diligamus*.] Primum illud, ut verba ipſa oſtendunt, intenta voce & manu efferri debent. *Geſta* porro & *ficta*, cum plane multumque inter ſe differant, alterumque præſtantius altero ſit, facile apparet, prius à dextra, poſterius à ſiniſtra eſſe collocandum. *Quos nunquam vidimus*, explicata utraque manu eſt efferendum; *diligamus*, utraque protenſa, & in auditores amorem illum conferente.

Te vero, *quem præſentem intuemur*, *cujus mentem*, *ſenſuſque*, *& os cernimus*, *ut*, *quicquid belli fortuna reliquum reip. fecerit*, *id eſſe ſalvum velis*,] τὸ *præſentem* emphatice proferendum, opponitur enim

nim iis *quos nunquam vidimus; mentem, ſenſus*, & *os*, paullo etiam fortius, adſcendit enim oratio. Poſt *ut* comma ponendum, reſpicit enim ultima illa, *id ſalvum eſſe velis*; media illa, *quicquid belli fortuna*, &c. paullo citatius ſunt pronuntianda.

Quibus laudibus efferemus? quibus ſtudiis proſequemur? qua benevolentia complectemur?] Hic vario modo ſe efformat geſtus. In priore membro ſe in altum attollunt manus, expanſis & extenſis digitis; in ſecundo, ſe protendunt in longum; in tertio, ſe pectori applicant, & geſtum amplectentis repræſentant: quo pacto triplex illud πάθος commode exprimetur.

Parietes, medius fidius, C. Cæſar, ut mihi videtur, hujus curiæ, tibi gratias agere geſtiunt, quod brevi tempore futura ſit illa auctoritas, in his majorum ſuorum, & ſuis ſedibus.] Plane hæc Oratoria ſunt, ne dicam Poëtica, quare fortiter & cum impetu pronuntianda; præſertim in *parietes*, re inanimata, cui ſenſus tribuitur; ut & in *medius fidius*, quod juramenti vicem præſtat, jurat enim per

per Herculem, ita se rem habere, ita certe videri. In *hujus curiæ* attollit se vox & manus; in *gratias agere*, submittit se leniter vox, & cum voce corpus, ut gestum gratias agentis effingat; in *illa auctoritas* assurgit cum gravitate, loquitur enim de viro gravi; τὸ *majorum* & τὸ *suis* peculiarem suam emphasin habent. Vox illa ultima protrahi debet, in ea enim finitur cum suavitate periodus.

CAP. IV.

Equidem, cum C. Marcelli, viri optimi, & commemorabili pietate ac virtute præditi, lacrymas modo vobiscum viderem, omnium Marcellorum meum pectus memoria effodit:] In verbis illis, *viri optimi* &c. adscendit vox paullulum, & in orbem se explicat utraque manus, continent enim laudes ejus; in *lacrymas* vox se demittit, producta priore syllaba, ad tristem & flebilem tonum exprimendum, quo illorum quoque animi commoveri possint; in *effodit* medius digitus cordi se applicat, quo tanquam

quam ſtylo, pectus confoditur, lentè tamen & moderatè, ne furioſi ſit geſtus potius, quam hominis ſani; in *omnium* &c. dilatat ſe vox & manus.

Quibus tu, etiam mortuis, M. Marcello conſervato, dignitatem ſuam reddidiſti, nobiliſſimamque familiam, jam ad paucos redactam, pene ab interitu vindicaſti.] Verba, *etiam mortuis*, item, *jam ad paucos redactam*, paullo celerius, & manibus in terram converſis, pronuntiare convenit. In *M. Marcello conſervato*, aſſurgit vox; item in *pene ab interitu vindicaſti*, ubi utrâque manu quaſi è terra erigitur, & conſervatur iſta familia. τὸ *dignitatem*, τὸ *nobiliſſimam*, ut & *familiam* cum dignitate dicenda ſunt.

Hunc tu igitur diem tuis maximis, & innumerabilibus gratulationibus, jure antepones.] Singula hæc cum emphaſi proferenda; in *maximis* ſe attollit, in *innumerabilibus* ſe extendit vox & manus, in *antepones* aſſurgit utraque.

Hæc enim res unius eſt propria Cæſaris: Ceteræ, duce te, geſtæ, magnæ illæ quidem, ſed tamen, multo magnoque comitatu.]

tatu.] Res, de qua loquitur, audiri præ ceteris debet; *propria* peculiarem accentum habet & proprium; *ducete* cum gravitate dicendum; *magnæ illæ quidem*, altiore paullulum voce, & cum pausa, quasi esset, *quod non diffiteor; sed tamen*, cum brevi mora rursum, ac si esset, *quod nec tu diffiteberis*; in *multo* & *magno* prima syllaba paullo fortius, & productius, efferri debet, ut vis vocabuli audiatur.

Hujus autem rei tu idem es & dux & comes: quæ quidem tanta est, ut tropæis monumentisque tuis allatura sit finem ætas] Clementiam virtuti bellicæ opponit, quare emphatice semper hæc pronuntianda sunt, ut discrimen utriusque recte intelligatur. *Dux* ponendum à dextrâ, *comes* à sinistra, duplex & non est negligendum, neque τὸ *tanta*: cetera medio tono pronuntianda.

(Nihil enim est opere aut manufactum, quod non aliquando conficiat, & consumat vetustas)] In *opere* & *manu*, non in *factum*, cadit accentus. In *conficiat*, & præsertim *consumat*, per ipsas litteras, imprimis sibilantem illam, & liquidam,

res

res quodammodo ipsa exprimitur, & evanescit.

At vero, hæc tua justitia & lenitas animi floreſcet quotidie magis, ita, ut, quantum operibus tuis diuturnitas detrahet, tantum adferat laudibus.] Post *vero* comma posui, quoniam brevis mora requiritur. Tò *justitia* & *lenitas* &c. leni & placido sono dicendum, ut ista animi lenitas exprimatur, quò & facit liquida *l* cum adjuncta *e*. In *floreſcet* se attollit vox & manus, ut in *magis*. In *detrahet* manus se pectori applicat, & Cæsari quasi detrahit aliquid; in *adferat*, à pectore rursum recedit, & quod eripuit reddit. *Operibus* & *laudibus* emphasin postulant, ab iis enim sensus pendet. Tò *diuturnitas* non est omittendum.

Et ceteros quidem omnes victores bellorum civilium jam ante æquitate & misericordia viceras: hodierno vero die te ipsum vicisti.] Aliis comparat Cæsarem, quare & hæc comparatio vim suam habere debet, *æquitate* & *misericordia* leniter pronuntiandum, & cum affectu. *Hodierno die* fortiter; *te ipsum* fortius etiam-

num & altius: eminet enim præ omnibus, ut ipse Cæsar, ita hæc victoria Cæsaris.

Vereor, ut hoc, quod dicam, non perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse cogitans sentio.] Lentè hæc pronuntianda, ut attentionem excitet, & quivis intelligat. Secunda in *auditu*, prima in *cogitans*, paullum producta, acumen auditus, & intentionem cogitantis indicat. Prius illud paullo acutius, & sublato in altum Indice, posterius paullo gravius, & sublatis in cœlum oculis, est proferendum.

Ipsam victoriam vicisse videris, cum ea ipsa, quæ illa erat adepta, victis remisisti.] Priora duo verba fortiter pronuntianda: reliqua lente & sedate, sunt enim ratiocinantis.

Nam, cum, ipsius victoriæ conditione, jure omnes, victi, occidissemus, clementiæ tuæ judicio conservati sumus.] *Nam, cum omnes occidissemus* &c. ita enim hæc cohærent, quare & ita interpunxi, ut *victoriæ conditione* sit inter duo commata, quasi esset, *hæc enim est victoriæ conditio;* pari modo τὸ *victi*, ac si esset,

tan-

tanquam victi. Minuta hæc videri poſſint, ſed ad diſtinctam pronuntiationem apprime faciunt iſta. Verba illa, *occidiſſemus*, *clementiæ* &c. & *conſervati*, ἐμφατικῶς ſunt pronuntianda, præſertim ultimi illius penultima *va*, quod audiri ante omnia debet.

Rectè igitur unus invictus es, à quo etiam ipſius victoriæ conditio, viſque, devicta eſt.] Concludit, quod in præmiſſis dixerat, invictum eſſe Cæſarem, qui non hoſtes tantum, ſed & ipſam victoriam, vicerit. Fortiter itaque iſta omnia & emphatice efferenda ſunt: in primis in *vis*, & *vic*, media illa penultimæ vocis, quæ vim iſtam & ipſius rei naturam ad vivum repræſentant. Obſervent, ὡς ἐν παροδῷ, Juniores, purum putum hic ſyllogiſmum eſſe, ſed Oratorium, lumine orationis veſtitum, unde apparet,

- - - *Quid diſtent æra lupinis.*

CAP. V.

Atque hoc C. Cæſaris judicium. P. C. quam latè pateat, attendite.] *Quam la-*

te pateat lente & expanſis manibus pronuntiandum eſt, ut hoc ipſum, quod dicitur, exprimatur. *Attendite*, ſubmiſſa & humili voce dicendum, eſt enim rogantis & ſupplicantis, quaſi eſſet, *quaſo*, *attendite*.

Omnes enim, qui ad illa arma fato ſumus neſcio quo reip. miſero funeſtoque compulſi, etſi aliqua culpa tenemur erroris humani, à ſcelere certe liberati ſumus.] Pathetica hæc ſunt, neque ſine affectu dicenda. Deploranda eſt civilium armorum conditio, quare lamentabilem iſta omnia ſonum requirunt, præſertim in *neſcio quo*, ubi ſe attollit vox & manus, cum aliquo motu, ut tantò majus videatur id malum. Recipitur interim ſpiritus, ut tantò fortius ſequentia illa, *reip. miſero funeſtoque*, exprimi poſſint, quæ lamentabilem & vocem & geſtum poſtulant, converſis in terram oculis ſimul & manibus, fortunam publicam deplorantibus. Verbis illis, *etſi aliqua culpa* &c. communem omnium culpam fuiſſe dicit, vel errorem potius, quare celerius hæc pronuntianda, & confitentis inſtar, ut tan-

tantò juſtius illud, quod ſequitur, neget, ullum in iis crimen fuiſſe. *A ſcelere* itaque magna cum confidentia proferendum eſt. *Tò humani* non eſt negligendum. Nam, cum hominis ſit errare, ipſis quoque ignoſcendum eſt, ſi errarunt, neque ullam aliam culpam, præter iſtam, commiſerint. Errare poſſunt, ſcelus committere non poſſunt, neque pro ſceleratis habendi ſunt.

Nam, cùm M. Marcellum, deprecantibus vobis, reip. conſervavit, memet mihi, & item reip. nullo deprecante, reliquos ampliſſimos viros, & ſibi ipſis, & patriæ, reddidit:] Eminent in his, *deprecantibus vobis*, &, quod ei opponitur, *nullo deprecante*, item, *memet mihi*, &, *ſibi ipſis*, ut & *reip.* ac *patriæ*, quæ ſingula ſuam habere emphaſin debent, cum commodo & idoneo geſtu, qui è jam dictis cognoſci facile poterit.

Quorum & frequentiam & dignitatem hoc ipſo in conſeſſu videtis.] Hæc geſtu magis, quam voce, exprimenda ſunt, prolatis & expanſis manibus, ut quaſi

digitis commonſtrentur, qui adſunt. To *dignitatem* ſuam habeat dignitatem oportet, ſunt enim *viri ampliſſimi* & magno quidem numero, ac frequentes.

Non ille hoſtes induxit in curiam, ſed judicavit, à pleriſque ignoratione potius, & falſo atque inani metu, quam cupiditate, aut crudelitate, civile bellum eſſe ſuſceptum.] Rem extenuat, & quod modo culpam & errorem vocaverat, nunc *ignorationem* & *metum* vocat: quare voce tenui & ſubmiſſa hæc ſunt efferenda. Illa quæ ſequuntur, *cupiditate* & *crudelitate*, audiri præ ceteris debent, & in iis ipſis vocabulis prima, ante alias, ſyllaba, *cu* & *cru*, *ta* nihilominus accentum ſuum retinente. verba illa ultima, *civile bellum eſſe ſuſceptum*, plena & canora voce proferre oportet.

Quo quidem in bello ſemper de pace agendum, audiendumque eſſe putavi; ſemperque dolui, non modo pacem, ſed orationem etiam civium, pacem efflagitantium, repudiari.] *Pax* à dextrâ, *bellum* à ſiniſtrâ, collocari debet. Verba *pacem*,

cem, orationem, efflagitantium, præ reliquis emphaſin habent, injuſtum enim & iniquum, non tantum pacem, ſed & eam poſtulantes, repudiari. Illa, *pacem efflagitantium*, inter duo commata poſui, id enim multo ἐμφατικώτερον.

Neque enim ego illa, nec ulla unquam, ſecutus ſum arma, ſemperque mea conſilia pacis & togæ facia, non, belli atque armorum, fuerunt.] *Pax* & *toga*, item *bellum* & *arma* cum unum idemque ſignificent, priora duo à dextrâ, poſteriora à ſiniſtrâ ſunt collocanda. *Nec ulla unquam* inter duo commata poſui, ut nec illa, nec ulla ſimilia, ſecutum ſeſe arma pronuntiet. Pari modo, poſt *non*, ſc. *non fuerunt ſocia*: ut & poſt *armorum*, τὰ *fuerunt* enim tam ad priora illa reſpicit, quam poſteriora.

Hominem ſum ſecutus, privatæ officia, non, publico: tantumque apud me grati animi fidelis memoria valuit, ut nulla, non modo cupiditate, ſed, ne ſpe quidem, prudens & ſciens, tanquam ad interitum ruerem voluntarium.] Poſt *ſecutus* com-

ma posui, quasi esset, *idque privato* &c. item post *non*, ut ἀπὸ κοινῆς repetatur illud *sum secutus*. In *privato* vox deprimitur, in *publico* attollitur. In verbis illis *grati animi* &c. vox lenis requiritur, amici & non ingrati animi testis. Post *nulla*, item post *sed*, comma rursum constitui, propter inopinatum, quomodo id fortius ferit. Τὸ *spe* item *prudens* & *sciens* cum ἐνεργείᾳ, pronuntiandum: in primis autem illud quod sequitur, *tanquam ad interitum ruerem voluntarium*, ubi *te* & *ru* audiri ante reliquas debent. In *ru* se extendit utraque manus, conjunctis & exsertis digitis, ut ruentis isto modo impetum repræsentet, quem illa ipsa promovet syllaba.

Quod quidem meum consilium minime obscurum fuit. Nam & in hoc ordine, integra re, multa de pace dixi, & in ipso bello eadem, etiam cum capitis mei periculo, sensi.] *Integra re* attolli debet, unde comparet, eum pacis semper studiosum fuisse: *in ipso bello*, deprimi; voce simul & manu; ut in re præsenti: *etiam eum capitis mei periculo*, commatibus in-

intercluſi, ut appareret τὸ *etiam* ad ſequentia potius, quam ad præcedentia, debere referri, quod majorem omnino emphaſim habet.

Ex quo nemo erit tam injuſtus rerum æſtimator, qui dubitet, quæ Cæſaris voluntas de bello fuerit, cùm pacis auctores conſervandos ſtatim cenſuerit; ceteris, fuerit iratior.] τὸ *quæ* paullulum attollendum, eſt enim pro *qualis*. τὸ *bellum*, ut dixi, à ſiniſtro, *pax* à dextro eſt collocandum. τὸ *ſtatim* cum celeritate proferendum, ut appareat, nihil Cæſarem cunctatum fuiſſe. Poſt *ceteris* comma poſui, ac ſi eſſet, *ceteris vero:* poſtremum illud, *fuerit iratior*, aliqua quoque cum celeritate dicendum eſt.

Atque id minus mirum videretur fortaſſe tum, cum eſſet incertus exitus, &, anceps fortuna belli:] *Tum, incertus*, & *anceps* paullo ſignantius exprimi convenit. Poſt *&* aliquantulum moræ poſtulat ſenſus, ut intelligatur, quod præceſſit, *cum eſſet.*

Qui verò, victor, pacis auctores diligit, is profecto declarat, maluiſſe ſe non dimicare, quam, vincere.] τὸ *victor* com-

matibus circumſepſi, nempe, qui jam victor, poſt quam jam victor factus, *qui* enim ad *diligit*, non ad *victor*, eſt referendum. τὸ *dimicare* à ſiniſtrâ colloco; τὸ *vincere*, à dextra, quia dimicationis fructus victoria. Poſt *ſe* aliqua, ſed brevis admodum, facienda eſt mora; aliquanto major, poſt *quàm*, ſcilicet *maluiſſe*, quod intelligi debet. τὸ *vincere* paullo celerius, ut mora iſta compenſetur, paulloque item altius, ut magnitudo victoriæ ſignificetur, eſt proferendum.

CAP. VI.

Atque hujus quidem rei M. Marcello ſum teſtis. Noſtri enim ſenſus, ut in pace ſemper, ſic tum etiam in bello congruebant.] De *pace* & *bello* diximus, prius à dextrâ, poſterius à ſiniſtrâ eſſe ponendum. τὸ *etiam* cum ſequentibus jungendum eſt, ut paullo ante.

Quoties ego eum, & quanto cum dolore, vidi, cum inſolentiam certorum hominum, tum etiam ipſius victoria ferocitatem, extimeſcentem?] τὸ *dolore* cum em-

emphaſi pronuntiandum, & ſecunda in primis ſyllaba audienda, & producenda, in ea enim τὸ πάθος. Poſt *ferocitatem* comma ponendum, ſeparatur enim à voce ſequenti, quæ τὸ *eum* reſpicit, non proxime præcedens vocabulum.

Quo gratior tua liberalitas, C. Cæſar, nobis, qui illa vidimus, debet eſſe, non enim jam cauſſæ ſunt inter ſe, ſed victoriæ, comparandæ.] τὸ *gratior* cum gratia, & leniter pronuntiandum eſt: *qui illa vidimus* debet paullulum attolli, in eo enim fides. *Cauſſæ* & *victoriæ* debent opponi, quorum poſterius fortius efferendum eſt. Poſt *victoriæ* comma oportet conſtitui, quoniam τὸ *comparandæ* tàm ad *cauſſæ*, quàm ad *victoriæ* referendum eſt.

Vidimus tuam victoriam, præliorum exitu terminatam: gladium, vagina vacuum, in urbe non vidimus.] *Vidimus* & *non vidimus* ſibi opponuntur, unde & exaudiri iſtam oppoſitionem oportet. Poſt *victoriam* comma poſui, quaſi eſſet, *quæ præliorum exitu terminata eſt*, *vagina vacuum* inter duo commata poſui,

ſui, quoniam ibi vox paullulum attolli debet, ac ſi eſſet, *qui vagina vacuus eſſet.* In *terminatam* paullo ſe remittit vox, ut appareat finem jam eſſe armorum.

Quos amiſimus cives, eos Martis vis perculit, non, ira victoriæ: ut dubitare debeat nemo, quin multos, ſi fieri poſſet, C. Cæſar ab inferis excitaret, quoniam ex eadem acie conſervat, quos poteſt.] *Martis vis* fortiter pronuntiandum, prout ipſa exigunt verba, ita ut accentus cadat in vocabulum ultimum, in quo peccare ſæpe video juniores. Poſt *non* comma poſui, ut ſubintelligatur τὸ *perculit. Si fieri poſſet* attolli paullulum debet, in eo enim voluntas oſtenditur Cæſaris. *Ab inferis excitaret*, pari modo, ut ſupra. In iis quæ ſequuntur extendere ſe debent manus, ut illi ſignificentur, quos conſervavit, quorum pars magna præſens erat.

Alterius vero partis nihil amplius dicam, quàm id, quod omnes verebamur, nimis iracundam futuram fuiſſe victoriam.] A Cæſare venit ad Pompejum, & ad alteram partem, quare majuſcula inter hæc

hæc & præcedentia pausa ponenda. In illis, *quod omnes verebamur*, paullo attolli velim brachia, est enim timentis, etiam humeros, dum id modice fiat, quanquam hoc vetent artis magistri, juxta regulam x. Verba sequentia cum dolore & affectu pronuntianda, dolet enim id ita futurum fuisse. *dam*, *ram*, & *am*, audiri omnino oportet, in iis enim τὸ πάθος.

Quidam enim, non modo armatis, sed interdum, etiam otiosis, minabantur: nec, quid quisque sensisset, sed, ubi fuisset, cogitandum esse, dicebant:] Post *enim* comma ponendum, scil. *minabantur*: item post *interdum*, & *otiosis*, ut plus ponderis habeat, τὸ *minabantur* enim & ad *armatis* & ad *otiosis*, refertur: pari modo post *nec*, & *sed*, refertur enim ad *cogitandum esse dicebant*: ut & post *esse*, ob eandem rationem.

Ut mihi quidem videantur Dii immortales, etiamsi pœnas à populo Romano ob aliquod delictum expetiverint, qui civile bellum tantum, & tam luctuosum excitaverunt, vel placati jam, vel etiam satiati aliquando, omnem spem salutis ad clemen-

tiam

tiam victoris, & ſapientiam, contuliſſe.] *Dii immortales* quem tonum, quem item geſtum habere debeat, ſupervacaneum dicere. Sequentia omnia fortiter exprimi, & per gradus aſſurgere debent, præſertim in *civile bellum*, in *tantum*, & *tam luctuoſum*, ante omnia vero in *excitaverunt*. In τῷ *placati* ſe remittit vox; in *ſatiati* plane dîs ſatisfactum eſſe ſignificat: alterum fit manu pronâ, alterum eâdem à pectore ſe explicante, vel utraque potius, & omnem iram ſublatam eſſe indicante. τὸ *clementiam*, τὸ *ſapientiam*, quoniam ad Cæſarem hæc referuntur, ſuavi & in animum irrepente proferenda ſunt ſono: quod & geſtu ad ipſum converſo exprimi debet. Poſt utrumque comma poſui, ad majorem evidentiam ſcilicet.

Quare gaude tuo iſto tam excellenti bono, & fruere, cum fortuna & gloria, tum etiam natura & moribus tuis: ex quo quidem maximus eſt fructus, jucunditaſq; ſapienti.] τὸ *excellenti* efferri paullo altius debet, ut appareat, quale illud ſit bonum. Poſt *fruere* comma poſui, duo enim dicit. *Fortuna* & *gloria*, quoniam

niam minus, à ſiniſtrâ colloco; *natura* & *moribus*, quoniam majus, à dextrâ. τὸ *fructus* paullo fortius, τὸ *jucunditas* paullo ſuavius, pronuntiare oportet.

Cetera cum tua recordabere, etſi perſæpe virtuti, tamen plerumque felicitati tuæ congratulabere:] *Virtuti* à dextrâ, *felicitati* à ſiniſtrâ collocandum: *congratulabere* cum gratiarum actione, protenſis à pectore manibus, eſt exprimendum, inclinato leniter corpore.

De nobis, quos in republ. tecum ſimul ſalvos eſſe voluiſti, quoties cogitabis, toties de maximis tuis beneficiis, toties de incredibili liberalitate, toties de ſingulari ſapientia tua cogitabis:] Poſt *toties* aliquantulum moræ ponendum, refertur enim ad *cogitabis*. Illa vero, quæ interſeruntur, paullo altius efferenda ſunt. Ultimum illud, *de ſingulari ſapientia tua*, voce delicata, & ad animum penetrante, pronuntiandum eſt. In *incredibili liberalitate* ex litterarum affinitate mira naſcitur ſuavitas.

Quæ non modo ſumma bona, ſed nimirum audebo vel ſola dicere.] τὸ *ſumma*, τὸ *ſola*, ut quîvis facile videt, hîc præ

ce-

ceteris eminent & forti voce ac gestu exprimi debent. In τῷ *summa* vox & manus adscendit, in *sola* utraque se cum efficacia & vehementia deprimit, & fidem facit, hæc *sola* esse *bona*, quæ isto demum nomine gaudeant.

Tantus est enim splendor in laude vera, tanta in magnitudine animi & consilii dignitas, ut hæc à virtute donata, cetera à fortuna commodata esse videantur.] τὸ *vera*, τὸ *dignitas*, item *magnitudine*, ut & *animi*, & *consilii* peculiarem emphasim postulant. *Hæc* & *cetera* sibi opponuntur. *virtute* à dextrâ, *fortuna* à sinistrâ poni debet. τὸ *donata*, τὸ *commodata* gestum requirunt, aliquid dantis & indulgentis: Utrumque audiri oportet, prius tamen paullo fortius; & à dextrâ; alterum paullo lenius, à sinistrâ.

Noli igitur in conservandis bonis viris defatigari, non cupiditate præsertim, aut pravitate aliqua lapsis, sed, opinione officii, stulta fortasse, certe non improba, & specie quadam reip.] Priora illa sunt supplicantis, & supplici ac submissa voce proferri volunt. *cupiditate* & *pravitate* audiri ante alia convenit, in iis enim est

est excusatio. Post *sed* comma posui, intelligitur enim *lapsis*. *Opinione officii* leni & submisso omnino tono pronuntiandum. *Stulta fortasse* debet attolli, est enim confitentis; *certè non improba* graviter & cum asseveratione dicendum, est enim negantis; *specie quadam reip.* tono mediocri, est enim excusantis, & culpam moderantis.

Non enim tua ulla culpa est, si te aliqui timuerunt; contraque, summa laus, quod plerique minime timendum esse senserunt.] Post *contraque* comma posui, ut subintelligatur τὸ *est*. Vox *tua* cum emphasi pronuntianda. *Timeri* & *non timeri* sibi opponuntur. Utrumque emphatice efferendum. In *summa laus* vox & manus adscendit, ac deinde cum suavitate periodum claudit.

CAP. VII.

Nunc vero venio ad gravissimam querelam, & atrocissimam suspicionem tuam: quæ non tibi ipsi magis, quàm, cùm omnibus civibus, tum maxime nobis, qui à te conservati sumus, providenda est.] Ad

alteram orationis partem venit, qua malam ei opinionem evellere cupit. Quare paullo major pauſa ante hæc verba ponenda eſt. *Graviſſimam* & *atrociſſimam* cum emphaſi dicendum, ut accentus in antepenultimam cadat: *tibi ipſi*, *omnibus* &c. *nobis*, eminere debent, item *conſervati*, & *providenda*.

Quam, etſi ſpero eſſe falſam, nunquam tamen verbis extenuabo.] *Etſi ſpero eſſe falſam* paullo celerius pronuntiandum eſt, ut oſtendat, falſum eſſe quod dicitur, quanquam id ſe extenuare & imminuere nolle dicat, ne rem iſtam a ſe inſuper haberi exiſtimet Cæſar.

Tua enim cautio noſtra cautio eſt: ut, ſi in alterutro peccandum ſit, malim videri nimis timidus, quàm, parum prudens.] *Tua* & *noſtra* ſibi opponuntur, quod intelligi debet. *In alterutro peccandum* ita dicendum eſt, ut utraque manu rem quaſi libremus & ponderemus. τὸ *timidus* à dextra ponendum, *parum prudens* à ſiniſtra, prius enim illud, ut potius, præfert. Poſt *quàm* comma pono, ſcilicet *malim videri*.

Sed, quiſnam eſt iſte tàm demens, qui

ſci-

ſcilicet tibi inſidiaretur?] Poſt *ſed* comma rurſum ponendum, quaſi eſſet, *ſed, ut rem bene perpendamus.* Τὸ *tibi* inſignem emphaſim habet, tibi ſcilicet, qui tam multis nos beneficiis obſtrinxiſti. In his, & ſequentibus, acutior paullo tonus requiritur. Sunt enim hæc diſceptantis, & in rem inquirentis.

De tuiſne? tametſi qui magis ſunt tui, quàm, quibus tu ſalutem inſperantibus reddidiſti?] Inquirit porro, quinam illi eſſe poſſint. Interrogatio hic obſervanda, in ea enim vis orationis. *Tuis* & *tui* ἐμφατικῶς dicenda. Poſt *quàm* comma ponendum, *quàm illi* ſc. Τὸ *inſperantibus* hic omnino exaudiri oportet, cum præcedente aliqua mora, ac ſi eſſet, *& quidem inſperantibus*, quod auget ἐνέργειαν, & fortius ferit, præſertim, ſi paullo illud citatius pronuntietur.

An, ex eo numero, qui unà tecum fuerunt?] Poſt *an* comma ponendum, quaſi, *an vero, an illi, qui.* Vis eſt in interrogatione, quæ præteriri non debet.

Non eſt credibilis tantus in ullo furor, ut, quo duce omnia ſumma ſit adeptus, hujus vitam non anteponat ſuæ.] Affirmat, neminem fore tam furioſum. Quamobrem ſingula emphatice proferenda, ut & illa, *omnia ſumma*, rem enim non vulgarem acceperant. Ultima illa, *hujus* tam bene meriti ſc. *vitam*, & τὸ *ſuæ* ſcil. *vitæ*, cum inter ſe opponantur, cum emphaſi item efferri debent.

At, ſi tui nihil cogitant ſceleris, cavendum eſt, ne quid inimici.] Objectio. *At*, ſcil. *dices*, ſi *tui* id non facient, facient *inimici*; quæ aperta comparatio & oppoſitio peculiarem quoque emphaſin poſtulat.

Qui? omnes enim, qui fuerunt, aut ſua pertinacia vitam amiſerunt, aut tua miſericordia retinuerunt.] Poſt *qui* mora requiritur. *Quinam illi ſunt* ſcil. *omnes qui fuerunt*, in medio ponendum: *ſua pertinacia* &c. à ſiniſtra; *tua miſericordia* à dextra collocandum, duo enim dicit, quorum alterum altero potius & præſtantius. Τὸ *amiſerunt* & *retinuerunt* non eſt prætereundum, in eo enim pondus rei.

Ut,

Ut, aut nulli ſuperſint de inimicis, aut, qui ſuperfuerunt, amiciſſimi ſint.] Poſt *ut*, comma pono, ac ſi dicat, *ut alterutrum verum ſit. Nulli ſuperſint* à ſiniſtra ponendum, omnes enim interierunt; Poſt *aut* iterum comma ſtatuendum, ut ſit, *aut ut; qui ſuperfuerunt* in medio, ut, *qui ſuerunt; amiciſſimi ſint* à dextra collocandum, cum ſuavi & jucundo ſono, ut pateat, amicos eſſe.

Sed tamen, cum in animis hominum tantæ latebræ ſint, & tanti receſſus, augeamus ſane ſuſpicionem tuam, ſimul enim augebimus & diligentiam.] Tò *latebræ*, quò & inſervit prima ſyllaba, gravi admodum voce pronuntiari debet, ut & *receſſus*, ut tantò fortius & ad vivum res exprimatur, cum vox ipſa ſe occultat quodammodo & recedit. Illud *ſimul enim augebimus* celeriter omnino debet efferri, ne malam è præcedentibus verbis opinionem concipiat Cæſar, quaſi ſuſpicionem illam augere vellet. Tò *&* emphaſin habet, eſt enim pro *etiam*, & priora corrigit.

Nam quis eſt omnium tam ignarus rerum,

rum, tàm rudis in rep. tàm nihil unquam nec de ſua, nec de communi ſalute cogitans; qui non intelligat, tua ſalute contineri ſuam, & ex unius tui, vitam pendere omnium?] *Tàm ignarus, tàm rudis, tàm nihil* &c. item *ſua* & *communi* peculiarem emphaſin habent. *Tua* præterea, & *ſuam*, item *unius tui*, & *omnium* præ ceteris eminere oportet. Poſt *tui* ponendum neceſſario comma, *vita* enim ἀπὸ κοινοῦ repeti debet.

Equidem de te dies noctesque, ut debeo, cogitans, caſus duntaxat humanos, & incertos eventus valetudinis, & naturæ communis fragilitatem extimeſco: doleoque, cum reſp. immortalis eſſe debeat, eam in unius mortalis animâ conſiſtere.] *Dies noctesque* continuari debet & uno ſpiritu, ſine mora, aut diſtinctione, pronuntiari: *ut debeo* graviter debet efferri, id enim debiti; *cogitans*, lentè, ut appareat cum ea de re cogitare; *caſus humanos* &c. flebili & ſubmiſſo tono, ut pateat, cum dolere communem fragilitatem; quod inprimis in *doleo* oſtendendum eſt, cum aliqua poſt id verbum mora, ut verus ſit dolor. Τὸ *immor-*

mortalis attollendum, τὸ *mortalis* deprimendum; unà cum *unius* & *animâ*, quæ valde pathetica, & pathetice item ſunt proferenda.

Si vero ad humanos caſus, incertoſque eventus valetudinis, ſceleris etiam accedat, inſidiarumque conſenſio; quem Deum, etiamſi cupiat, opitulari poſſe reipubl. credamus?] Eundem ſenſum habentia eodem modo pronuntiare oportet. Τὸ *ſceleris* cum indignatione proferendum fortiter; τὸ *inſidiarum* paullo ſubmiſſius, per cuniculos ſcil. ut ſolent inſidiantes. Τὸ *Deum*, &, *etiamſi cupiat*, vim ſuam habent ſingularem, ut & τὸ *poſſe*; non enim poſſet, ſi vellet.

CAP. VIII.

Omnia ſunt excitanda tibi, C. Cæſar, uni, quæ jacere ſentis, belli ipſius impetu, quod neceſſe fuit, perculſa atque proſtrata.] Τὸ *excitanda* concitatius dicendum; *tibi uni*, cum emphaſi; *jacere*, voce ſubmiſſa; *belli impetu*, fortiter, & cum impetu; *quod neceſſe fuit*, attollendum; *perculſa* & *proſtrata*, cum

efficacia, priore à ſiniſtrâ poſito, poſteriore vero à dextrâ, ut ita ab omni parte omnia proſternantur.

Conſtituenda judicia, revocanda fides, comprimendæ libidines, propaganda ſoboles: omnia, quæ dilapſa jam fluxerunt, ſeveris legibus vincienda ſunt.] Singula diſtincte dicenda; enumerat enim, quæ reſtituere debeat Cæſar. Ultima illa, *ſeveris legibus vincienda*, præ reliquis eminere, & paullo fortius efferre oportet.

Non fuit recuſandum in tanto civili bello, tantoque animorum ardore, & armorum, quin quaſſata reſp., quicunque belli eventus fuiſſet, multa perderet & ornamenta dignitatis, & præſidia ſtabilitatis ſuæ: multaque uterque dux faceret armatus, quæ idem togatus fieri prohibuiſſet.] Plura hîc obſervanda. *In tanto civili bello* &c. fortiter hæc pronuntianda. Eminent *animorum* & *armorum*. *Quicumque belli eventus fuiſſet*, hæc attollenda & concitatius proferenda. *Multa perderet* in medio collocandum; *ornamenta* &c. à ſiniſtrâ; *præſidia* &c. à dextrâ parte. *Τὸ ſtabilitatis* fir-

firmiter & cum ſtabilitate proferendum. Tò *armatus* & *togatus* opponuntur: prius à ſiniſtrâ rurſum; poſterius à dextrâ ſtatuendum. Duæ priores ſyllabæ in utraque voce clare audiri debent, eminet tamen ſecunda.

Quæ quidem nunc tibi omnia belli vulnera curanda ſunt; quibus, præter te, mederi nemo poteſt.] Illud *præter te*, & *nemo*, audiri ante omnia convenit, præcipue illud *te* & *ne*; quæ ſyllaba producenda, ut appareat, neminem omnino eſſe, qui malis illis mederi poſſit.

Itaque illam tuam præclariſſimam ac ſapientiſſimam vocem invitus audivi; ſatis te diu, vel naturæ vixiſſe, vel gloriæ.] Verba Cæſaris hîc adducit, & refutat auctor; quare illa præ ceteris audiri debent, ut appareat, alterius verba eſſe, juxta Reg. xxxv. Laudat porro illam vocem, quare *præclariſſimam* & *ſapientiſſimam* paullo fortius efferendum, præſertim illud *invitus*, cujus ſecundam produci oportet, deteſtatur enim illam vocem, quanquam laudabilem. Illa autem, *vel naturæ*, *vel gloriæ*, diſtincte

proferri, & præ reliquis audiri convenit; quorum prius à sinistrâ, est enim tum prius, tum communius, alterum à dextrâ collocandum.

Satis, si ita vis, naturæ fortasse; addo etiam, si placet, gloriæ; at, quod maximum est, patriæ, certe parum.] Respondet ad objectionem Cæsaris. Distinctè itaque omnia pronuntianda, & lentè. *Si ita vis* attollendum, ut &, *si placet*. *Naturæ* & *gloriæ* eodem loco ponendæ, quo modo. *Quod maximum est*, ut vox ipsa indicat, paullo altius assurgat oportet. Post *patriæ* comma pono, subauditur enim, *satis vixisse*. Extenuandum illud ultimum, *certe parum*: nihil nempe minus quàm satis.

Quare omitte, quæso, istam doctorum hominum in contemnenda morte prudentiam. Noli nostro periculo sapiens esse.] Verba sunt monentis & supplicantis, submisso itaque & protracto sono proferenda, imprimis pars illa posterior, & τὸ *ri* in *periculo*, in quo vis supplicationis.

Sæpe enim venit ad aures meas, te idem istud nimis crebro dicere, satis te tibi vixisse.]

xisse.] Postrema hæc Cæsaris rursum sunt verba, & præ ceteris audienda.

Credo, sed tum id audirem, si tibi soli viveres, aut, si tibi etiam soli natus esses.] Respondet prioribus, ut modo. Eminet *tibi soli*, item *viveres*, & *natus esses*. Post *aut* comma posui, scil. *tum id audirem*, quod è priori membro repetendum.

Nunc, cum omnium salutem civium res tua gestæ complexæ sint, tantum abes à perfectione maximorum operum, ut fundamenta, quæ cogitas, nondum jeceris.] Verba illa, *cum omnium salutem* &c. amplo tono, & explicatis in circulum manibus, exprimi debent, quæ deinde in *complexæ* coëunt. Tò *perfectione* &c. attollendum, *tò fundamenta* &c. deprimendum, expansis in latera manibus, ut illud jaciatur quodammodo fundamentum.

Hic tu modum tuæ vitæ, non, salute reip., sed, æquitate animi, definies?] Ab accurata distinctione hujus loci sensus & efficacia pendet: quamobrem primum distinguo post *vitæ*, *definies* scil. deinde post *non*, ut fieri oportet sc. tum

post

poſt *ſed*, ut facis ſcil. denique poſt *animi*, ultimum enim verbum tam priora reſpicit, quàm poſteriora. *Salute* &c. attolli, *æquitate* &c. deprimi debet, & ſubmiſſa ac leni voce pronuntiari.

Quid ſi iſtud ne gloriæ quidem tuæ ſatis eſt? cujus te eſſe avidiſſimum, quamvis ſis ſapiens, non negabis.] Prima in *gloriæ* attollenda & producenda eſt. Illa, *quamvis ſis ſapiens*, concitatius proferre oportet, propter illa quæ præcedunt, ne illa forte offenderent Cæſarem.

Parumne igitur, inquies, gloriam magnam relinquemus? Immo vero aliis, quamvis multis, ſatis; tibi uni, parum. Quicquid enim eſt, quamvis amplum ſit, id certe parum eſt tum, cum eſt aliquid amplius.] Objicit Cæſar, reſpondet Cicero. Accurate & hæc diſtinguenda. Ut modo in *gloriam*, ita nunc in *magnam* cadit accentus, diſputat enim quænam ſit iſta gloria. In *aliis*, in *multis*, in *tibi uni* aſſurgit vox: in *ſatis*, in *parum* ſe demittit rurſum. Inter *uni* & *parum* neceſſaria eſt interpunctio, vult ſcil. ſatis magna hæc gloria aliis foret, immo pluribus ſimul, tibi vero uni, qui aliis

liis major, qui plurium inſtar es, non eſt ſatis magna, major enim eſſe poteſt, ut dein ſubjicit.

Quod ſi rerum tuarum immortalium, C. Cæſar, hic exitus futurus fuit, ut, devictis adverſariis, Remp. in eo ſtatu relinqueres, in quo nunc eſt: vide, quæſo, ne tua divina virtus admirationis plus ſit habitura, quam gloriæ.] In prioribus verbis ſe explicat vox & manus. *In eo ſtatu*, &, *in quo nunc eſt*, triſtiore aliquantum voce proferendum eſt, ut pateat, quiſnam iſte ſit ſtatus. In *divina virtus* aſſurgit iterum vox. *τὸ admirationi*, ut & illud ultimum, *gloriæ*, audiri præ ceteris debent, in iis enim vis argumentationis. Prius deprimit, poſterius extollit.

Si quidem gloria eſt, illuſtris, ac pervagata multorum & magnorum, vel in ſuos, vel in patriam, vel in omne genus hominum, fama meritorum.] Definit veram gloriam, quæ amplius aliquid eſt, quam admiratio. Poſt *eſt*, comma poſui, incipit enim ibi definitio. Audiri hanc univerſam oportet, ſed imprimis verba illa, *illuſtris*, *pervagata*, *multorum*, *ma-*

magnorum, ſuos, patriam, omne genus &c. in poſtremis illis *fama meritorum* aſſurgit paullo altius vox, & cum Fama in cœlum volat. Illud *orum*, ter repetitum, non eſt prætereundum, in eo enim dignitas & majeſtas orationis, & incredibilis inſuper ſuavitas, quam & augent litteræ ſimiles, *fa*, *ma*, *me*, in poſtremis verbis.

CAP. IX.

Hæc igitur tibi reliqua pars eſt: hic reſtat actus: in hoc elaborandum eſt, ut rempubl. conſtituas, eâque tu imprimis compoſitâ, ſummâ tranquillitate & otio perfruare.] Prima in *reliqua* præ reliquis eminet, hæc pars ſupereſt, hæc eſt reliqua; idem in *reſtat*: τὸ *elaborandum* cum gravitate dicendum, cum cura enim in id incumbendum. *Eâ compoſitâ* medio tono, *tranquillitate* & *otio* leniore paullo voce dicendum eſt, ut tranquillitas & quies iſta exprimatur.

Tum te, ſi voles, cùm & patriæ, quod debes, ſolveris, & naturam ipſam expleveris

veris ſatietate vivendi, ſatis diu vixiſſe, dicito.] *Tum* fortiter exprimendum; *ſi voles*, attollendum; poſt *debes* ponenda diſtinctio, *patriæ* ſc. geminum & non omittendum; *expleveris* &c. plena & gravi voce proferendum; verba, *ſatis diu vixiſſe*, paullo fortius & altius efferenda ſunt, Cæſaris enim ſunt verba, unde & poſt *vixiſſe* ponenda diſtinctio. *Tum dicito*, illud ſc. quod præceſſit, *ſatis te diu vixiſſe.*

Quid eſt enim omnino hoc ipſum diu, in quo eſt aliquid extremum? quod cum venerit, omnis voluptas præterita pro nihilo eſt, quia poſtea nulla futura ſit.] Explicat, quid ſit *diu* vivere, quare vox iſta paullo fortius exprimenda, quæ in ſequentibus ſe deinde verbis ſubmittit, & ſuaviter cadit, quò & facit interrogatio. *Pro nihilo*, & *nulla*, fortiter & cum contemptu dicenda ſunt.

Quanquam iſte tuus animus nunquam his anguſtiis, quas natura nobis ad vivendum dedit, contentus fuit, ſemperque immortalitatis amore flagravit.] In *iſte tuus animus* aſſurgit, in *nunquam his anguſtiis*, & quæ ſequuntur, ſe remittit

vox,

vox, in poſtremis rurſum verbis aſſurgit, præſertim in *ta* & *mo*, ut ardor ille tantò melius exprimatur.

Nec vero hæc tua vita ducenda eſt, quæ corpore & ſpiritu continetur.] In *tua* & *ducenda* cadit accentus, non enim hæc illius eſt vita, quam omnes homines vivunt, quæ *corpore & ſpiritu continetur*, quæ propterea verba, tanquam res vulgaris, & cum vulgo communis, vulgari quoque modo dicenda ſunt.

Illa, inquam, illa vita eſt tua, Cæſar, quæ vigebit memoria ſæculorum omnium, quam poſteritas alet, quam ipſa æternitas ſemper intuebitur.] Geminum *illa*, ac præcipue illud ſecundum, cum gravitate & energia dicendum eſt, ut & *tua*, hæc enim illius eſt vita, ipſi propria. In ceteris ſe explicat vox & manus, lentè autem, & magna cum gravitate, ut & diuturnum illud tempus, & ſumma illa admiratio exprimatur. In verbis vero vis maxima, præſertim in ultimo, quod & productius, in quo hærere aliquantum oportet, ut tanto majore cum attentione ejus vitam contemplemur. τὸ *æternitas*, τὸ *ſemper*, non eſt negligendum. *Huic*

Huic tu inſervias, huic te oſtentes oportet: quæ quidem, quæ miretur, jam pridem multa habet: nunc, etiam quæ laudet, exſpectat.] *Huic*, poſteritati, æternitati, ſingularem enim emphaſin habet, ut & *inſervias*, & *oſtentes*. Τὸ *miretur*, τὸ *laudet*, intelligi præ ceteris convenit, præſertim *re* & *lau*, quorum alterum admirationem, alterum laudem parit. Τὸ *multa* non prætereundum, explicita voce ac manu.

Obſtupeſcent poſteri certè, imperia, provincias, Rhenum, Oceanum, Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias, monumenta, munera, triumphos, audientes & legentes tuos.] Hic more ſuo ſe diffundit orator. Singula bene ſunt dividenda, & ſectione commoda ſeparanda. Primum poſt *certe* comma pono ut ante primum vocabulum, in quo admiratio, brevis mora conſtituatur, quò magis obſtupeſcant ſcil. eodem modo brevem pauſam facio, dum hæc pronuntio, poſt *provincias*, poſt *Nilum*, poſt *innumerabiles*, poſt *victorias*, poſt *triumphos*, ut nunc duo, nunc tria ſimul vocabula aſſumantur,

unde grata diverſitas oritur, quod & in ipſa compoſitione obſervaſſe videtur Auctor. Tὸ *audientes* à ſiniſtrâ colloco, τὸ *legentes* à dextrâ. Utriuſque prima ſyllaba aliquo etiam modo debet audiri, quoniam gemina ſunt, & quaſi oppoſita, accentu tamen in ſede ſua naturali remanente.

Sed, niſi hæc urbs ſtabilita tuis conſiliis & inſtitutis erit, vagabitur modo nomen tuum longè atque latè: ſedem quidem ſtabilem, ac domicilium certum, non habebit.] *Ii* in *ſtabilita* cum gravitate dicendum, in eo enim firmitas, & quaſi fundamentum rei. In *vagabitur* &c. vox ſe dilatat, manus in utramque partem exſpatiatur. *Sedem* pronis manibus exprimo; *domicilium*, utroque Indice in terram converſo. *Stabilem* & *certum* ipſo ſe vocabulo produnt.

Erit inter eos etiam, qui naſcentur, ſicut inter nos fuit, magna diſſenſio: cum alii laudibus ad cœlum res tuas geſtas efferent, alii fortaſſe aliquid requirent, idque vel maximum, niſi belli civilis incendium ſalute patriæ reſtinxeris: ut illud fati fuiſſe videatur: hoc, conſilii.] Inter

erit

erit & *fuit*, inter *nos* & *qui nascentur*, manifesta est oppositio. *Magna dissensio*, non levem eam fuisse indicat. In *laudibus* &c. quæ vox, qui gestus esse debeat, per se jam patet; *fortasse aliquid requirent* submissiore voce dicendum est, quasi quod proferre vix audeat; in *idque vel maximum* paullulum se rursum recuperat; in *belli civili incend.* vox & manus se attollunt, in *salute patr. restinx.* se remittunt, & incendium quasi illud restinguunt. τὸ *fati* à sinistrâ parte pono, quoniam fatalis illa fuit calamitas; τὸ *consilii* à dextrâ, quoniam hoc Cæsaris proprium, & ejus prudentiæ assignandum. Post *hoc* necessum distinguere, ut verba illa intelligi possint, quæ proxime præcesserunt.

Servi igitur iis etiam judicibus qui multis post seculis de te judicabunt, & quidem haud scio an incorruptius, quam nos. Nam & sine amore, & sine cupiditate, & rursus sine odio, & sine invidia judicabunt.] Præsentibus comparat insequentes judices: intelligi itaque debet hæc comparatio. *Amore* & *cupiditate*,

item *odio* & *invidia* paullo fortius pronuntiare oportet. Duo priora à ſiniſtrâ pono, duo poſteriora à dextrâ, ſunt enim ſynonyma, ejuſdem certè ſenſûs vocabula.

Id autem etiam ſi tunc ad te, ut quidam falſo putant, non pertinebit; nunc certè pertinet, te eſſe talem, ut laudes tuas obſcuratura nulla unquam ſit oblivio.] *Tunc* & *nunc* ſibi opponuntur, uti *pertinere* & *non pertinere*, quare hæc majore quadam cum energia dicenda. Eminet quoque illud, & paullo celerius efferendum eſt, *ut quidam falſo putant*, rejicit enim iſtam opinionem. *Eſſe talem* ſuam quoque emphaſin habet. Reliqua diffuſa & ampla voce ſimul ac manu ſunt proferenda; lentè item, ut rei duratio, & longa illa laudum memoria intelligatur.

CAP. X.

Diverſæ voluntates civium fuerunt, diſtractaque ſententiæ. Non enim conſiliis ſolum, & ſtudiis, ſed armis etiam, & caſtris diſſidebamus.] In *diſtracta ſententia* ſe

ſe dividit & diſtrahit manus. *Conſiliis & ſtudiis* à ſiniſtrâ, *armis & caſtris* à dextrâ colloco, ob eandem, quam modo diximus, rationem. Fortiter autem hæc omnia efferre oportet, impetum enim & ardorem notant: præſertim illa ultima *armis & caſtris*, eruperunt enim occulta iſta ſtudia in apertum bellum.

Erat autem obſcuritas quædam, erat certamen inter clariſſimos duces: multi dubitabant, quid optimum eſſet: multi, quid ſibi expediret: multi, quid deceret: nonnulli etiam, quid liceret.] *Obſcuritas, certamen, dubitabant*, ſuam habent emphaſim. Illud vero, *quid optimum eſſet, quid ſibi expediret, quid deceret, quid liceret*, ἐμφατικώτερον paullo pronuntiandum, ab eo enim ſenſus pendet. In duobus illis ultimis, media quidem eminet, ſed & prima etiam ſyllaba ſuum habeat accentum oportet, juxta regul. XIII.

Perfuncta reſp. eſt hoc miſero fatalique bello: vicit is, qui non fortuna inflammaret odium ſuum, ſed bonitate leniret: nec qui omnes, quibus iratus eſſet, eoſdem

etiam exilio, aut morte dignos judicaret.] Media in *perfuncta* protrahi debet, ut pateat, hoc malo penitus defunctam esse remp. prima in *misero*, omnes vero in *fatali* pari modo debent produci, ad movendam misericordiam. *Tò is* attolli debet & in medio poni: *qui non fortuna* &c. à parte sinistrâ, *bonitate leniret*, à parte dextra collocari: prius illud voce intenta & acuta; posterius, leni & placata, pronuntiari; quò imprimis faciunt *le* & *ni* in *leniret*. *Iratus*, *exilio*, *morte*, suam quæque emphasim habent, ut & *tò dignos*.

Arma ab aliis posita, aliis erepta sunt. Ingratus est, injustusque civis, qui, armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum: ut etiam ille sit melior, qui in acie cecidit, quam, qui in causa animam profudit.] In *posita* requiescit vox & manus; in *erepta* assurgit, paullo citatius. *Ingratus* & *injustus* suam postulant emphasin. Post *qui* comma pono, scil. *retinet*. In *liberatus* & *armatum* præcipue accentus incumbit, unà cum vocibus adjunctis. In *acie cecidit* à sinistrâ pono, *in caussâ* &c. à dextrâ.

trâ. Poſt *quàm* comma rurſum ſtatuo, *quam ille* ſc. ultima illa verba *animám profudit*, in medio ſunt collocanda.

Quæ enim pertinacia eſt quibuſdam, eadem aliis conſtantia videri poteſt.] *Pertinacia* & *conſtantia* ſibi opponuntur, quod & in ipſa pronuntiatione audiri oportet.

Sed, quia jam omnis fracta diſſenſio eſt armis, & exſtincta æquitate victoris: reſtat, ut omnes unum velint, qui modo habent aliquid non ſolum ſapientiæ, ſed etium ſanitatis.] In *fracta* debet audiri canina, ut & ſupra cap. III. Poſt *&* comma pono, ſc. *eſt.* in *extincta* &c. ſe ſubmittit vox, & leni quodam motu requieſcit. Τὸ *ſapientiæ* à dextrâ pono, ut majus, τὸ *ſanitatis* à ſiniſtrâ, ut minus.

Quia, niſi te, C. Cæſar, ſalvo, & in iſta ſententia, qua cùm antea, tum hodie vel maxime uſus es, manente, ſalvi eſſe non poſſumus.] In *ſalvo* & *manente*, ut in *ſalvi eſſe*, præcipua vis pronuntiationis incumbit: item in *antea*, *hodie*, & præſertim *maxime*.

Quare omnes te, qui hæc ſalva eſſe vo-

lumus, & hortamur & obſecramus, ut vitæ, ut ſaluti tuæ conſulas: omneſque tibi, (ut pro aliis etiam loquar, quod de me ipſo ſentio) quoniam ſubeſſe aliquid putas, quod cavendum ſit, non modo excubias & cuſtodias, ſed etiam laterum noſtrorum oppoſitus, & corporum pollicemur.] In his plura veniunt obſervanda. In *hortamur* adſcendit & vox & manus; in *obſecramus* ſe ſubmittit utraque. Prima in *vitæ*, ſecunda in *ſaluti* ſingularem ſuam emphaſim habent, & produci utraque volunt, in eo enim τὸ πάθος. In parentheſi vox aſſurgit, in *aliis* ſe dilatat manus, in *me ipſo* contrahit. In *ſubeſſe* prona manus ſe ſubmittit, in *cavendum* dextræ Index ſe attollit, &, ut caveas, monet. In *excubias* & *cuſtodias* ſe explicat utraque manus in utramque partem; in *laterum* ſe lateri applicat; in *corporum* &c. ſe pectori admovet, cum efficacia quadam, ut oſtendat ſe vel vitam pro eo profundere velle.

CAP.

CAP. XI.

Sed ut, unde eſt orſa, in eodem terminetur oratio mea, maximas tibi omnes gratias agimus, C. Cæſar; majores, etiam habemus.] In *orſa* aſſurgit vox, in *terminetur* cum lenitate deſcendit. Vox manum ſequitur, ut alibi, ita & hic. *Maximas* fortiter, *gratias* leniter pronuntiandum; *majores* paullo etiam fortius, & cum aliqua mora, ſubintelligitur enim *gratias.*

Nam omnes idem ſentiunt: quod ex omnium precibus, & lacrymis, ſentire potuiſti.] Eminent in his *precibus* & *lacrymis*, in quibus eſt πάθος, ſyllabâ utriuſque priore productâ paullulum & protractâ.

Sed, quia non eſt aſtantibus omnibus neceſſe dicere, à me certè dici volunt, cui neceſſe eſt quodammodo, & quòd volunt, & quòd decet, & quòd, M. Marcello à te huic ordini, populoque Rom. & reip. reddito, præcipue id à me fieri debere intelligo.] *Omnibus* & *me* ſibi opponuntur.

tur. *Volunt, decet, reddito* paullo fortius efferre oportet; *huic ordini* &c. cum dignitate & majeſtate. Illud *à me* præ ceteris eminet.

Nam lætari omnes, non, ut de unius ſolum, ſed, ut de communi omnium ſalute, ſentio.] *Unius ſolum*, & *communi omnium* ſibi opponuntur, quod præ reliquis audire convenit. Poſt *non*, & *ſed*, brevem moram feci, ad majorem diſtinctionem, & clariorem verborum horum intellectum.

Quod autem ſummæ benevolentiæ eſt, quæ mea erga illum omnibus ſemper nota fuit, ut vix C. Marcello, optimo, & amantiſſimo fratri, præter eum quidem, cederem nemini:] In *benevolentiæ* vox requiritur lenis, in *nota* paullo apertior, in *optimo* & *amantiſſimo* aliquanto fortior, ut & in *præter eum*, & *nemini*, cujus prima produci aliquantulum debet.

Cum id, ſollicitudine, curâ, labore, tamdiu præſtiterim, quamdiu eſt de illius ſalute dubitatum: certè hoc tempore, magnis curis, moleſtiis, doloribus liberatus, præ-

præſtare debeo.] *Tam diu*, & *quam diu*, ſibi oppoſita ſunt, & audiri præ ceteris amant. *Sollicitudine*, *cura*, *labore*, ſuam habent emphaſim. Poſt *hoc tempore* comma poſui, ſcil. *præſtare debeo*, cum ſim *curis*, *moleſtiis*, *doloribus*, *liberatus*, quæ ſingula ſuam poſtulant emphaſin, & cum aliqua mora, cum gravitate item & dignitate, proferri volunt.

Itaque, *C. Cæſar*, *ſic tibi gratias ago*, *ut omnibus me rebus à te non conſervato ſolum*, *ſed etiam ornato*, *tamen ad tua innumerabilia in me unum merita*, *quod fieri jam poſſe non arbitrabar*, *maximus hoc tuo facto cumulus acceſſerit.*] In *gratias ago*, ut modo, ſe ſubmittit leniter vox & manus. In *conſervato*, & inprimis *ornato* aſſurgit utraque; in *innumerabilia* & *merita* ſe pandunt; in *quod fieri jam poſſe* &c. aſſurgitur rurſum, cum impetu quodam, ad indicandum τὸ ἀδύνατον; in *maximus* vox & manus ſe deprimit, ad pondus ſignificandum; in *cumulus* ſe attollit denuo utraque, ac deinde rurſum ſubmittit, cir-

circuli inſtar, ad ingentem illum cumulum exprimendum.

FINIS.

PETRI

Digitized by Google

PETRI FRANCII
ORATIONES
DUÆ
DE RATIONE DECLAMANDI:

Habitae Amſtelaedami in auditorio Athenaei majore

III. Kal. Nov. CIↃ IↃ C XCVI,
&
V. Kal. Jul. CIↃ IↃ C XCVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

PETRI FRANCII

ORATIO I,

DE RATIONE DECLAMANDI.

NUnquam nimis dicitur, quod nunquam ſatis diſcitur, Senecæ Philoſophi verbum eſt. Quod ut in artibus aliis, ita in hoc Eloquentiæ ſtudio, & Exercitiis hiſce Oratoriis noſtris, experior eſſe veriſſimum. Nam cum de his ipſis Recitationibus publicis ſæpe ad vos verba jam fecerim, cum eandem plus ſemel materiam pertractarim, idem toties ſtudium commendarim, ut nauſeam ac faſtidium veſtrum evitandum mihi crederem potius, quàm ut cramben iſtam, recoctam tot vicibus ac repetitam, illuſtri huic auditorio apponere denuo ſuſtinerem: tamen cum aut nondum intellexerint homines, aut intelligere nondum voluerint, quod Exer-

Exercitationum iſtarum commodum eſſet & emolumentum; cumque extiterint etiam, qui hæc elevent penitus atque contemnant, & rem per ſe bonam ac fructuoſam malis invidioſiſque vocabulis inſignire non dubitent; mei ego muneris & officii credidi, Eloquentiæ partes tueri, & de eadem licet materia, atque hoc ipſo propoſito noſtro, vobis non invitis, ut ſpero, nec recuſantibus, plenius paullo uberiuſque diſſerere; ut optimæ rei utilitas, antiquitas, dignitas, hodierno per me die manifeſta fiat, & omnibus, qui hæc audient, qui hæc legent, hac ipſa luce clarius innoteſcat. Quod tantò quidem lubentius impono mihi oneris ac laboris, quòd iſtam hic à me operam poſtulare, ac flagitare quodammodo videatur dies. Nam cum hunc ornatiſſimum ac præſtantiſſimum Juvenem, ſuæ vobis induſtriæ atque Eloquentiæ ſpecimen exhibiturum, in hunc ipſum produxiſſem locum, aut tacendum mihi videbam, aut loquendum: quorum alterum neque è *meo*, neque è ſtudiorum communium commodo

modo fore ; alterum , ut ſæpe aliàs, ita nunc potiſſimum, debere à me fieri judicabam. Quare cum vos alloquendi cum maxime tam opportunam & commodam, quæ ſponte ſe obtulit, occaſionem ſilentio præterire non poſſim , & præfandum eſſe neceſſario aliquid animadvertam , quid facturus ſum hodie rectius , quid huic ipſi loco ac tempori convenientius, quam ſi, exemplis & argumentis ab ultima Antiquitatis memoria repetitis , harum vobis Exercitationum Oratoriarum noſtrarum uſum atque utilitatem oſtendero? De hoc itaque ipſo apud Veteres ſtudio, & hoc Declamandi , ut appellabant, genere univerſo, bona cum venia veſtra , & ea , qua audiviſtis me hactenus, benevolentia , fretus atque confiſus, præliminari hac oratione vobiſcum diſputare conſtitui. Quod antequam facio , id à vobis peto ac poſtulo , ut nullius amore aut odio ducti , rem ipſam conſideretis ; & hoc omne ſtudium noſtrum , non ex imperitorum ſermonibus , aut calumniis hominum malevolorum , ſed ſuo pre-

tio, ſuo commodo, & ex totius Antiquitatis ſuffragio æſtimetis.

Ac primum, ne vos ipſum offendat vocabulum Declamandi, quod per ſe bonum atque honeſtum, ut alia plura, malorum artificum culpa, & imperitorum ſocordia hominum, in malam paullatim partem accipi cœptum eſt. Quod eo tandem uſque proceſſit, ut apud multos hoc ſæculo homines, ut Eloquentiæ, ſic Antiquitatis ignaros, idem ſit Orator quod Declamator, & alter ſæpe cum altero confundatur. Aliud quid apud Veteres erat Declamatio, aliud quiddam Oratio. Nam quanquam omnis ſermo Oratio eſt, vulgaris etiam & quotidianus, Oratio tamen, per excellentiam, & ſuo quodam jure, Oratorius dictus eſt ſermo, ſermonum videlicet omnium præſtantiſſimus; quem qui ore proferrent, ex eo ipſo dicti ſunt Oratores. Declamatio autem genus quoddam eſt Orationis, Oratoribus propriæ, & viam quandam ſternit ac ſemitam, ad auguſtam *illam* Oratoriam facultatem, cui qui *operam* dabant Eloquentiæ parti, Declamatores

ſunt

ſunt appellati ; minores quidam , ut ita dixerim , Oratores. Ante omnia autem in Eloquentiæ ſtudio exercebant ſeſe à prima adoleſcentia Veteres; & duplici quidem modo: aut enim ficta argumenta tractabant , aut vera. Ficta, ut Progymnaſmata, & Declamationes : vera , ut Orationes. Ac minora quidem Juvenum exercitia erant, quæ Progymnaſmata appellabant; Elementa dicendi dixeris, & Oratorias quaſdam Proluſiones ; quorum exempla nobis ſuppeditant duo Præſtantiſſimi Rhetores dicam an Sophiſtæ (nam & hoc bonum vocabulum eſt , iſto enim nomine vocabantur) Theo & Aphthonius , elegantiſſimi politiſſimique ſcriptores, & Declamatorum omnium princeps Libanius. Majora vero exercitia majorum ac provectiorum , & robuſtiorum quodammodo laterum , erant Declamationes , quæ iter & aditus ad Forenſem ac legitimam Eloquentiam , & Oratoriæ quaſi velitationes. Μελέτας, ἀσκήματα , & ἀγωνίσματα , vocant Græci ; *certamina* appellat *Rhetorica* Priſcianus ; *decurſus ludicros* , &

ſimulacra præliorum voluptaria, Gellius; *pugnæ ſimulacra*, & *forenſium actionum meditationem*, *conſiliorum judiciorumque imaginem*, Quintilianus. Et ut *belli ſimulacra*, Iüli & aliorum in litore Siculo Trojanorum decurſiones iſtas ludicras vocat, vere non minus, quam eleganter, Virgilius, ita decurſiones has Oratorias, & ad verum olim prælium præparationes, *certamina* quædam *Rhetorica*, & *pugnæ*, ac *præliorum ſimulacra Forenſium* clariſſimi Artis ſcriptores non immerito appellarunt. Quid enim eſt Declamatio, niſi *dicendi meditatio*, & *imago cauſſarum Forenſium*, ut eam nominat Fabius?

Hujus autem rei & conſuetudinis tam laudabilis quiſnam auctor apud Græcos extiterit, ambigunt inter ſe Veteres. Alii Democharem, Demetrium alii Phalereum, alii Æſchinem Oratorem, quod vero videtur ſimilius, inventorem putant, qui à Demoſthene victus, & Rhodi exul, Rhetoricos iſtiuſmodi aperuerit ludos, & morem iſtum introduxerit Declamandi, quo ſuam in exilio ſuſtentaret vitam.

Ve-

Vetuſtioribus apud Græcos temporibus, & longe ante Gorgiam Leontinum, qui neglectam iſtam aliquamdiu revocaſſe conſuetudinem dicitur, locos quoſdam Communes, (θέσεις & θετικὰς ὑποθέσεις) pertractare, & ex argumentis, ſeu fictis, ſeu veris, aliquam ſibi eloquentiæ formam induere, juniores ſolebant. Idem ante tempora Ciceronis apud Romanos obtinuiſſe, ipſe teſtis eſt Cicero. Iſtiuſmodi autem locorum Communium libros ab Hortenſio & Cicerone compoſitos ac divulgatos commemorant. Genus hoc exercitationis ad augendam eloquentiam uſurpatum Antiquis fuiſſe, & in eum ab iis finem adhibitum, teſtis eſt Quintilianus. Marci deinde Tullii tempore natum eſt demum Romæ genus hoc Declamandi. Tria autem Declamationum genera erant, pro tribus cauſſarum generibus; vel enim Panegyricæ erant Declamationes, quæ in Demonſtrativo: vel Suaſoriæ, quæ in Deliberativo; vel Controverſiæ, quæ in Judiciali genere verſabantur. Panegyricas occuparunt, & in Rhetorum

poſſeſſionem impetum fecerunt Grammatici; quam ab illis partem neglectam, ab hiſce vero, tanquam injuſtis poſſeſſoribus, occupatam, ſuo jure queritur Fabius. Nam in omni, inquit, cauſſarum genere, non in uno aliquo proprio, ſuâ ineſt naturâ laus ac vituperatio. Narrationes præterea, & Communes loci, non in Demonſtrativo tantum, ſed & in duobus item generibus aliis, ſuum paſſim obtinent locum. Quare in illo non minus quam in iſtis, non à Grammaticis, ſed à Rhetoribus, exerceri Juvenes oportere; ut arma habeant præparata, quibus, cum volent, uti, & in mediis, ut loquitur, litium verſari medullis poſſint. Duæ ſunt ergo potiſſimum, in quibus ſe apud Rhetores exercebant, qui Declamandi ſtudio tenebantur, Eloquentiæ partes, Suaſoriæ & Controverſiæ. Earum primo materies erant argumenta vera, vel à perſonis, vel à rebus deſumpta; quomodo Ciceronis tempore factitatum. *Mutato* deinde imperio, & corrupta mox Eloquentia, fictam Declamatores materiam

riam elegerunt, ut ex Quintiliani, aut quæ ſub illius nomine circumferuntur, & Marci itidem Senecæ Declamationibus patet. Hic utrumque dicendi genus à ſe invicem ſeparavit, & in duas veluti partes Declamationes ſuas diſpeſcuit, Suaſorias & Controverſias, quæ M. Tullii tempore Cauſſæ, non Controverſiæ, appellabantur.

Hoc itaque modo Declamandi ſe ſtudio exercebant, & ad veram Eloquentiam viam ſibi, per hanc umbraticam, muniebant, Græci illi Veteres ac Romani; quod ab adoleſcentia inchoatum, nullo unquam tempore intermiſſum, tam bello, quam pace, tam in negotio, quam in otio, Princeps ille gentium populus, & Eloquentiæ non minus laude quam bellica virtute clariſſimus, ſumma ſemper induſtria ac vigilantia excolebat. Nec enim juvenile hoc tantum exercitium fuiſſe cenſendum eſt. Viri, & viri principes illud ſibi operæ injungebant, neque hoc Declamandi unquam ſtudium intermittebant. Cauſſas ſe Declamaſſe, cum ad Forum ſe præpararet, cum

verſaretur in Foro, idque neminem ſe feciſſe diutius, ipſe de ſe teſtatur, princeps Eloquentium, Tullius. Alios apud ſeſe exercuit in hoc ipſo Eloquentiæ ſtudio, extinctis in Foro cauſſis, Rhetor ille non minus eximius, quam Orator; & *Hirtium ac Dolabellam*, ut eleganter ac feſtive loquitur, *dicendi diſcipulos* habuit, *cœnandi magiſtros*; hoc eſt, ut ipſe mox explicat, *illos apud ipſum Declamitare, ſe apud illos cœnitare*: quos *grandes* propterea *prætextatos* appellare idem ſolebat. Eandem hanc repetere conſuetudinem, & in Declamandi, ut conſueverat, ſtudio exercere ſe non erubuit, princeps ſenatus, victor ille gentium ac terrarum, Pompejus. Idem bello Mutinenſi Antonius, idem fecit Auguſtus; idem ſæpius, & jam Princeps, Nero. Quotidianum hoc erat Veteribus. Declamabat quotidie Cicero, cum Piſone, cum Pompejo, cum aliis; idque Græce non minus quam Latine. Idem ab aliis factitatum deinceps, Seneca, Suetonius, Fabius, & Epiſtolæ indicant Plinianæ.

Quid

Quid quod non Eloquentiæ tantum, ſed & valetudinis cauſſa ſæpiſſime declamabat, ut idem teſtis eſt Plinius; qui ſaluberrimum hoc exercitium, in ſuis illis laudat ac commendat Epiſtolis? Quo cum abuterentur qui non ex Catonis præſcripto viverent homines, parum ſobrii ac temperantes, male audire cœpit res optima, ac præſtantiſſima; quo & nomine taxat Antonium Cicero, quod totos dies, non augendæ Eloquentiæ, non acuendi ingenii, ſed diſcutiendæ crapulæ, & vini exhalandi gratia declamaſſet.

Sed rei per ſe innocenti id magis obeſſe non debet, quam quod in Declamandi illo ſtudio conſeneſcerent, & tanquam ad Sirenum ſcopulos adhæreſcerent aliqui, exercitiis illis voluptariis irretiti; & in certamine illo ludicro, tanquam vero ac legitimo prælio, vitam omnem tranſigerent, & à Foro prorſus ac Fori negotiis abſtinerent. Hominum iſta, non rei, eſt culpa, qui rebus etiam optimis male uti, & artibus ac diſciplinis ſua inurere vitia conſueverunt. Satis id ipſi

Veteres oſtenderunt, qui *Meditationem cauſſarum Forenſium*, & iter tantummodo ad Eloquentiam, non Eloquentiam ipſam, quæ ſanctius & auguſtius quiddam, iſta eſſe Declamationum genera voluerunt. Satis id ipſum monuit Quintilianus, non nimium diu ſcilicet iſtis exercitiis immorandum, ne ab illa, in qua prope conſenuerint, umbra, *vera diſcrimina*, *velut quendam ſolem*, *reformident*, quod Porcio Latroni acciderat. Quapropter idem ille junioribus auctor eſt, ut *Declamationes* iſtæ quam proxime ſint *ad veritatem accommodatæ*; & non particulam aliquam ac laciniam, hinc inde decerptam, non facillima quæque & maxime favorabilia, ſed cauſſam omnem, & totas in ſe materias complectantur. Idem apertiſſimis verbis hortatur, ut *eas imitetur Declamatio actiones, in quarum exercitationem reperta eſt.*

Sed quid ego pluribus diſputo, & rem per ſe manifeſtam, rem per ſe bonam & utilem, contra malevolorum calumnias hominum longiore oratione defendo? Meis verbis non indiget, quod

quod Græcorum ac Romanorum, quod tot ac tantorum virorum, quod univerſæ Antiquitatis conſenſu ac teſtimonio comprobatum eſt. Quod ſi nullus hinc fructus, ac non maximum potius commodum, perciperetur, nunquam ad illud ſe ſtudium, tanto ardore & impetu, acuti homines & ingenioſi, contuliſſent Græci: nunquam in hoc eos ſtudio imitati fuiſſent Romani; Martius populus, & ad imperandum natus. Quò cum viam panderet Eloquentia, quæ altera erat ad honores via, ſummo illi opere contendebant, ut per fictam hanc Eloquentiam & ſimulatam, ad veram illam ac Forenſem adſcenderent. Utiliſſimam ſane hanc Declamandi rationem pronuntiat Fabius; quam ad Eloquentiam efformandam prope ſolam ait ſufficere. Unde & inter potiſſimas corruptæ Eloquentiæ cauſſas ipſorum inſcitiam Declamantium numerat. Idem haud obſcure ſignificat auctor præſtantiſſimi illius de Corruptæ Eloquentiæ Cauſſis dialogi, qui, ſive eſt Quintilianus, ſive quiſpiam alius, in eadem certe

certe cum eo ſententia eſt. Marci ſane Tullii tempore, quo maxime floruit Eloquentia, maxime item floruit Declamatio; & præclarum illud ingenium, *quod ſolum populus Romanus par imperio ſuo habuit*, ut Marcus loquitur Seneca, in Declamandi hoc ſtudio à prima ſe adoleſcentia ad ultimum uſque vitæ ſuæ finem exercuit.

Hæc quanquam abunde ſufficere, & cauſſæ à me ſuſceptæ ſatis eſſe factum exiſtimem, tamen in eorum gratiam hominum, qui omnem ſibi eximi ſcrupulum cupiunt, ipſa vobis Veterum adducam loca, ut, ſi meis minus verbis credatis, & parum bonæ vobis fidei videar, illis certe, tam ſanctis, tam incorruptis, tam integris, fidem teſtibus habeatis. Ac primum quidem Marcum audite Tullium Ciceronem, qui in præclaro illo de Claris Oratoribus libro ita de ſe ac ſtudiis ſuis, ſub ipſius exitum libri: *Commentabar Declamitans (ſic enim nunc loquuntur)* (nova enim res erat, novo opus erat vocabulo) *ſæpe cum M. Piſone, & cum Q. Pompejo, aut cum aliquo, quotidie:* (diligentiam ho-

hominis, & indefeſſum in dicendo ſtudium !) *idque faciebam multum etiam Latine, ſed Græce ſæpius:* (ad Præturam uſque Græce, Latine vero ſenior quoque, teſte Suetonio. Rationem porro addit, & quidem duplicem, cur Græce potiùs, quam Latine) *vel quod Græca oratio, plura ornamenta ſuppeditans, conſuetudinem ſimiliter dicendi afferebat: vel quod à Græcis ſummis doctoribus, niſi Græce dicerem, neque corrigi poſſem, neque doceri.* Audite hæc eadem Filium in ſua ad Tironem Epiſtola (16, 21.) memorantem: *Declamare Græce apud Caſſium inſtitui: Latine autem apud Bruttium exerceri volo.* Audite Senecam Rhetorem, de hoc ipſo Tullii ſtudio Controverſiarum ſuarum Proœmio diſſerentem: *Declamabat Cicero, non quales nunc Controverſias dicimus, nec tales quidem, quales ante Ciceronem dicebantur, quas Theſes vocabant. Hoc enim genus materiæ, quo nos exercemur, adeo novum eſt, ut nomen quoque ejus ſit novum. Controverſias nos dicimus: Cicero Cauſas vocabat.* Audite C. Suetonium in exiguo illo, ſed eximio, de Claris Rhe-

to-

toribus libro, idem hoc affirmantem: *Cicero ad Præturam usque* (id est, ad quadragesimum ætatis annum) *Græce declamavit: Latine vero senior quoque, & quidem Consulibus Hirtio & Pansa* (id est anno ab urbe condita undecimo & septingentesimo) *quos discipulos & grandes prætextatos vocabat.* De Hirtio verum est, de Pansa falsum; Dolabellam enim fuisse, non Pansam, ipse testis est Cicero in suis illis ad Familiares Epistolis. *Grandes* vero ab eo *prætextatos* dictos eosdem illos, quos habebat *dicendi discipulos*, Marcus item testis est Seneca. Pergit Tranquillus: *Cn. Pompejum quidam Historici tradiderunt, sub ipsum civile bellum* (ô tempus asperum, & aliis rebus omnibus potius, quam Declamationibus, destinatum!) *quo facilius Curioni, promptissimo juveni, caussam Cæsaris defendenti, contradiceret, Declamandi consuetudinem repetisse.* Hic est turbulentus Tribunus ille Plebis, ac nefarius, Curio, cujus ut Concionibus posset resistere, ejusque facundiæ suam opponere, Declamandi consuetudinem revocare non dubitavit Magnus

gnus ille Cn. Pompejus ; nec tantum in ſua auctoritate , & totius Senatus præſidio , quantum in hoc Declamandi genere , & ſua illa apud populum Eloquentia collocabat. Subjungit ibidem Suetonius: *Marcum Antonium , item Auguſtum , ne Mutinenſi quidem bello omiſiſſe.* Non ignorabant videlicet , quid apud populum , apud militem , militares iſtæ conciones poſſent. *Nero Cæſar* , adjungit mox idem , *& primo imperii anno* , (quo optimus fuit Princeps , & præclaram illam vocem emiſit : UTINAM LITTERAS NESCIREM!) *& publice quoque bis antea Declamavit.* Audite denique Fabium Quintilianum , qui in ſuis de re Oratoria libris (2, 10) ita de hac ex profeſſo materia loquitur: *Declamandi ratio , ut ex omnibus noviſſime inventa*, (tempore Ciceronis ſcil.) *ita multo eſt utiliſſima. Nam & cuncta illa , de quibus diximus , in ſe fere continet , & veritati proximam imaginem reddit : ideoque ita eſt celebrata , ut pleriſque videretur ad formandam Eloquentiam vel ſola ſufficere. Neque enim virtus ulla perpetuæ duntaxat orationis reperiri*

periri poteſt, quæ non ſit cum hac dicendi meditatione communis. Ita vocat *Declamationem*, quam idem alibi, *Forenſium actionum meditationem* appellat. Cui Oratorum meditationi quantum debuerit Eloquentia idem apertiſſimis deinde verbis oſtendit: *Eo quidem res iſta culpâ docentium recidit, ut inter præcipuas, quæ corrumperent Eloquentiam, cauſſas, licentia atque inſcitia Declamantium fuerit.* Qui fictas ac fabuloſas materias, nec ulli unquam uſui in Foro futuras, Junioribus ad Declamandum proponerent; qui ſtylo ſuo abrupto, & quæſito verborum acumine, virilem illam & maſculam Veterum Eloquentiam enervarent. Pergit ibidem paullo poſt: *Totum autem Declamandi opus qui diverſum omnino à Forenſibus cauſſis exiſtimant, ii profecto ne rationem quidem, quare iſta exercitatio inventa ſit, pervident. Nam ſi Foro non præparat, aut Scenicæ oſtentationi, aut furioſæ vociferationi ſimillimum eſt.* Rationem oſtendit & finem, in quem inventa ſit Declamatio, ut cauſſis inſerviret Forenſibus, & ad veram Eloquen-

quentiam Juvenes præpararet. Idem mox: *& hæc quidem otiosa*: (tranquilla, pacata, sine affectibus) *affici vero, & ira vel luctu permoveri, cujus est ludibrii*, (quam stultum, quam ridiculum, ac plane ineptum: hominis enim est importuni, & auditorum suorum patientia abutentis) *nisi quibusdam pugnæ simulacris ad verum discrimen, aciemque justam, consuescimus?* nisi his Declamationibus, & quibusdam pugnæ quasi simulacris, ad veram pugnam, & justam aciem, ad Forum & causas Forenses, instruerentur, & ante legitimum prælium discerent præliari. Subjungit deinde, & rogat: *Nihil ergo inter Forense genus dicendi, & hoc Declamationum intererit?* Quid respondere Rhetorem existimatis? *Si profectus gratia dicimus, nihil.* si eum in finem Declamamus, ut in Eloquentia proficiamus, ut Foro nos præparemus, ut *alatur & enitescat hoc veluti pabulo latiore facundia*, quo modo ipse alibi loquitur, nihil plane interesse respondet.

Videtis ex his, opinor, quid fuerit

olim Declamatio; quæ Declamationis utilitas; & quantum in eam operæ Veteres, quantum temporis ac laboris impenderint. Quæ cum ita se habeant, utilemne rem an inutilem, laudandam an contemnendam, studiosam doceant Juventutem, qui Declamandi consuetudinem istam, apud omnes ubique neglectam, sepultam & oblitteratam, ab Orco veluti revocant, & in adspectum hominum denuo, ac lucem publicam protrahunt, credo omnibus apparere. Quod si plane nova res esset, nulla Veterum auctoritate, nullo alicujus exemplo ac testimonio stabilita, tamen hanc utilissimam ac præstantissimam, judicare, ut existimo, deberetis. Nunc cum morem hunc laudatissimum conservare, qua possum, conor: cum id faciam hodie, quod politissimæ semper gentes, & styli elegantia commendabiles, optimum factu judicarunt; cum id agam denique, quod ipsi Majores nostri, quod amplissimi ac nobilissimi Curatores, quod illustrissimi ac potentissimi Ordines, à Litterarum Professoribus agi, in sua,

quam

quam exercerant, Academia voluerunt; cum id, inquam, agam, quod doctissimi ac disertissimi viri isto in loco egerunt; quis fraudi mihi vertet, aut crimini, si eandem viam institero, quam, non dico in Italia Itali, sed in his ipsis regionibus Batavi institerunt? An in Academia proxima Lipsio licuit & Cunæo, quod in hoc mihi Athenæo non licet? an laudandi sunt isti, quod Curatorum decreto, auctoritatique paruerint, ego vero culpandus ac vituperandus, qui istud in me laboris sponte susceperim? Sed & illi recte fecerunt, & ego me non male facere existimo, qui illorum vestigia premo, & laudabilem Veterum istam, ac Majorum nostrorum consuetudinem repeto, & in hunc ipsum, in quo semper Eloquentia floruit, qui suos semper Oratores habuit, cui reddi Oratoria debuit, revoco ac reduco locum. At aliter plane Veteres, aliter item Majores. Sua illi recitabant, non aliena. Ingens crimen, magnum piaculum. Alia erat Veterum ratio, alia nostra. Per omnem illi se vitam in Eloquentia exercebant;

cebant; huic se penitus devovebant; &, cur id facerent, rationes sane permagnas habebant: Nostri Eloquentiam Juvenes vix attingunt, & hoc universum prope studium negligunt. Illi jam Grammaticis dederant operam, Poëtas, Oratores, Historicos, & id scriptorum genus evolverant: nostri rudes ad nos accedunt, &, ubi accesserint, avolant. Deinde, quis negat, etiam aliena Veteres recitasse? multa è Græcis convertit: multa è Latinis expressit: multa ad verbum edidicit, tam aliena, quam sua, ut ipse de se testatur, in libris de Oratore, (1, 34) Oratorum omnium princeps, M. Tullius Cicero. Quæ si memoriæ tantum caussa, ac non vocis etiam & pronuntiationis fecisse gratia credimus, meo quidem judicio fallimur vehementer. Quid, cum contrarias illas Æschinis ac Demosthenis orationes è Græcis fecit Latinas, scripsisse tantum, non & declamasse, existimamus? Ego utrumque eum fecisse, & utraque fecisse lingua, ut ad istam se normam componeret, facile adducor ut credam. Quis

iste

iſte porro tam audax, qui ſemper nos aliena, nunquam noſtra proferre, audeat criminari? Quod qui affirmare ſuſtineat, eum oris improbi hominem, & perfrictæ eſſe frontis oportet. Ab iſta me calumnia liberant præclara Diſcipulorum meorum ſpecimina, quæ & Latine vobis & Græce, & ſoluto ſermone & ſtricto, partim aliunde translata, partim per ſe compoſita, & è ſui ſcrinio pectoris educta atque deprompta, diverſis ſæpe temporibus ediderunt. Si è veſtra iſta effluxere memoria; ſi præteritis minus creditis; hic ipſe teſtis eſt dies; hic ipſe, qui verba mox faciet, Adoleſcens. Quod ſi aut raro, aut nunquam, de ſuo quicquam apponere vobis valerent, iſti adhuc impares oneri, juvenes, in his ipſis nihilominus alienis, ita ut convenit, recitandis, & ipſorum in dicendo ardor, & meus hic ipſe conatus in Eloquentiæ ſtudio promovendo, laudandus eſſet ac prædicandus. Nunc cum utrumque conjungam, nec alterum ab altero ſeparem, quis iniquo animo ferat, ſi, dum ſcribere nondum poſſunt, loqui

interim discant, & eam partem Eloquentiæ imbibant, quæ potissima semper est judicata? Superstitiosus sane est nimis, aut delicatus, qui nobilissimas Oratoris disertissimi orationes, voce & gestu, uti res postulat, recitantes, & mutis Tullii verbis vitam atque animam inspirantes, audire ac ferre non potest; illudque rem nihili putat, unde fructus in ipsos Actores redit ac redundat uberrimus. Nam & magnarum rerum imagines animo suo concipiunt, & verbis se optimis instruunt; connexiones, ac transitiones, artificium denique omne Rhetoricum æmulari discunt, & ad præstantissimum sese exemplar fingunt atque componunt. Externam vero Eloquentiam illam, ad quam ista ætas idonea maxime, quæ, nisi ista ætate, doceri non potest, quæ è solo discitur Tullio, isto sibi modo comparant universam. Dicam paucis, quod sentio, finiam deinde sermonem, vel abrumpam potius. Exterior omnis Eloquentia Internam habet pro *fundamento*. Ea subjectæ inhæret materiæ, & rebus ac verbis includitur. Iis si insit

motus & ſpiritus, tranſit in Oratorem: ſi nihil ejuſmodi, fruſtranea omnis eſt Actio, nec Externa ullius ulla effectura quicquam facundia eſt. Optimæ igitur iſtæ ſunt orationes, & ad agendum aptiſſimæ, quæ maxime ſunt numeroſæ, maxime item uberes ac diffuſæ, maxime denique, quo uno omnia continentur, patheticæ. Jam vero, quis numeroſior Cicerone? quis eodem uberior, & copioſior, qui flumen quoddam eſt Eloquentiæ? in quo magis regnat ac dominatur τὸ πάθος? Quis autem admirabile iſtud atque incredibile dicendi genus, & ſummam iſtam, qua tantum ille cæteris præſtitit, Eloquentiam, ullo ſe modo exprimere, aut adumbrare poſſe confidat? Non mei ſane diſcipuli, non ego, non quiſquam. Quare nihil his judico ſatius, nihil magis etiam profuturum, quam ſi orationem aliquam è Cicerone memoriæ mandent, vim inde dicendi eliciant, & omnem illius facundiam, voce, oculis, manu, ac totius habitu corporis repræſentent. Quod ſi facere vel ſemel voluerint, ſed ita facere, ut oportet, &

quamdiu oportet, quod vel brevius futurum, vel longius, pro discentis indole, spatium, illud affirmare non dubito, nihil ipsos aggressuros deinde, seu Forum spectent, seu Curiam, seu Ecclesiasticam Cathedram, nulla publice verba facturos, quacunque lingua, de quacunque materia, quin magno semper applausu, & suffragatione communi, sermonem eorum sint accepturi, non iniqui, non invidi, quicunque contigerint, auditores. Quæ qui parva putat, aut levia, & nullum olim usum habentia, horum pretium non intelligit, & ab ipsis non magis Veteribus, quam à recta ratione, discedit. Ego certe vel magno emissem, & alii, credo, mecum, si idoneum in his doctorem in mea nanciscì adolescentia potuissem. Nunc, isto bono privatus, nec alio, nisi me ipso, magistro usus, id omne me mihi debere, citra arrogantiam posse dicere videor. Si cujus vocem aut gestum sum admiratus, si quicquam sum ab aliquo mutuatus, meis id oculis vidi, meis auribus imbibi, nec quenquam, qui in hisce me exerceret, aut corrige-

ret,

ret, habui. Me ipſe exercui, me ipſe correxi, & ad unius aut alterius, quos audire mihi licuit, viri pulcherrimum, ut judicabam, exemplar, memet ipſe compoſui. Ciceronis imprimis orationes in manus ſumſi, (ut non aliud aliis dare me velle conſilium intelligatis, quam quod ipſe expertus ſum optimum) eas mandavi memoriæ, eas recitavi, ac declamavi, ad eas vocem ac geſtum formavi, & per exercitia iſta domeſtica, continua ac propemodum quotidiana, ſi quid in hac arte profeci, ſi quid eſt iſtius in me Eloquentiæ, mea mihi induſtria comparavi. Nec ſane aliter fieri poteſt, & qui aliter fieri poſſe exiſtimant, verum ad Eloquentiam iter ignorant. Opus ad hanc Eloquentiam, non minus quam ad alteram illam, Natura, Arte, Exercitatione. Natura idoneam exhibet indolem, & ad hæc natam: Ars circa præcepta verſatur: Exercitatio utramque conjungit. Natura, quod vulgo dicitur, incipit; Ars artificem expolit; Exercitatio perficit. Ars Naturam adjuvat, format, emendat, &,

quod Natura non fuerat, Naturam facit. Nihil vero poteſt placere, niſi quod ſit naturale; hoc eſt rebus ac perſonis conveniens; quod partim Natura, partim Arte & Exercitatione conſequimur. Quomodo autem hæc pertractaverint Majores noſtri, divinare non poſſum. Exercitia Oratoria habuiſſe, ſcio: an partem hanc Eloquentiæ intellexerint, neſcio. Rem omnem in deſuetudinem abiiſſe conſtat; nec ullas eſſe Leidæ orationes habitas memini, quamdiu ego illic ſtudiorum gratia fui. Si quæ poſtea habitæ, non eo certe modo ſunt habitæ, quo & à noſtris habentur, & haberi ab omnibus oportebat. Quamobrem, cum & multus & varius utriuſque ſit Eloquentiæ uſus; cum ea hic conjungantur, quæ nunquam à ſe invicem Veteres ſepararunt; & partim ſcribendo, partim loquendo, quod nuſquam alibi, hoc ipſo ſe in loco exerceant Adoleſcentes; nonne mirandum & obſtupeſcendum, exortos eſſe homines nuper, eò audaciæ impudentiæque progreſſos, ut hæc omnia ſpernerent, car-

carperent, atque traducerent; ut ab omni Eloquentiæ ſtudio Juvenes avocarent, & cereos in vitium animos malis ac perverſis opinionibus inquinarent. Qui ſane homines, ſi rebus ſuis vellent conſulere, ac non palam atque omnibus potius, quàm harum ſint rerum intelligentes, oſtendere, intra ſuos ſe terminos continerent; aut, ſi viri eſſent, & ipſi Eloquentiam colerent, in eumque locum reducerent, ac jure poſtliminii reſtituerent, ubi iſtæ tot annos litteræ negliguntur. Sed provectum me longius animadverto. Vela contraho, &, ne diutius vos detineam, deſino. Illud unum adjicio: Niſi qui eandem illam, quam & olim Veteres, & nos hactenus, ingreſſus fuerit viam, hoc eſt, legendo, ſcribendo, agendo, aliquamdiu ſe exercuerit, ad veram ac ſolidam Eloquentiam neminem perveniſſe, pervenire neminem poſſe.

PETRI

PETRI FRANCII
ORATIO II,
DE RATIONE DECLAMANDI.

CUm nuper ad vos verba facerem, Auditores, oſtendi vobis uſum & utilitatem laudatiſſimi illius apud Veteres Declamandi moris: & Exercitationum ſimul noſtrarum, omnemque conſilii rationem mei clarorum virorum exemplo, & illuſtriſſimorum conſuetudine hominum æquis, credo, judicibus comprobavi. Ne quid ſcrupuli reſideret, & ut omnem calumniandi, atque hæc ſtudia noſtra vituperandi, malevolis anſam hominibus amputarem, quicquid hujus eſt artificii paginis non ita multis incluſi, & Exterioris Eloquentiæ Specimen ad Orationem Ciceronis pro Archia accommodatum typo-

pographico ſubjeci prælo, Artiſque naturam, & indolem; & univerſam Oratoriam Actionem; ſignis quàm evidentiſſimis, rationibuſque firmis ac ſolidis, & ab ipſa rei natura petitis, legentium omnium oculis, quoad ejus fieri potuit, demonſtravi. Apparet ex eo, opinor, non adeo leve eſſe, quod agimus, ac nonnulli putant, nec rem memoriæ, aut puerile aliquod exercitium eſſe Recitationes haſce Oratorias noſtras, aut cerebri mei commentum, ſed certis præceptis ac legibus rem iſtam omnem inniti, & via ac ratione, ex ipſius Naturæ præſcripto, & diſci ſimul & doceri. Quid ſupereſt ad pleniſſimam perſuaſionem, & ad obſtinatiſſimos etiam convincendos, niſi ut oſtendam, non ſua Veteres recitaſſe, quod feci nuper, ſed & aliena edidiciſſe, & id quod nunc agimus præſtitiſſe, hoc eſt, aut carmen, aut orationem, illuſtrioris alicujus Poëtæ aut Oratoris, ſuæ mandaſſe memoriæ, & iſto exercitii genere ad Forenſem ſe Eloquentiam præparaſſe? Quod ſi vobis manifeſtum fecerit hodiernus dies, quis

quis tam impudens futurus in posterum, tam inscius & imperitus, tam hujus omnis artis ignarus, qui rei tam claræ obloqui, qui rem utilissimam carpere, & hæc Exercitia nostra audeat vituperare? Nam & nos nostra recitamus, ut illi sua: & aliena edisci-mus, ut illi olim. Atque ut Oratorum illi veterum Orationes memoriæ imprimebant, & suam ad eas Actionem fingebant: ita nos nostras è Cicerone desumimus, & Actionem ad eas Oratoriam conformamus. Et quis ambigere possit, aut dubitare, quin & hunc ipsum in exemplum sumpserint, & hujus ipsius Orationes etiam recitarint? Ego certe ita existimo, certoque mihi persuadeo, nec enim simile videtur veri, optimum ac præstantissimum præterituros Oratorem fuisse, cum Oratorum eos veterum Orationes mandasse memoriæ constet. M. sane Fabius Quintilianus, qui tanti Tullium fecit, qui optime illum expressit, qui toties testem adducit, qui genus hoc declamandi ac recitandi laudat, probat, commendat, quo illum præculo ne-

neglexiſſet, nec, ut perfectiſſimam Eloquentiæ normam, ſuis in exemplum diſcipulis propoſuiſſet? Sed ne conjecturis agamus potius, quam certis ac validis argumentis, audite, quæſo, non mea, ſed præſtantiſſimi Rhetoris verba. Ita autem ille in Inſtitutionibus Oratoriis, de prima pronuntiationis & geſtus informatione, libro loquitur primo: *Debet etiam docere Comœdus, quomodo narrandum, qua ſit auctoritate ſuadendum: qua concitatione conſurgat ira, qui flexus deceat miſerationem. Quod ita optime faciet, ſi certos ex Comœdiis elegerit locos, & ad hoc maxime idoneos, id eſt actionibus ſimiles.* Monet, ut Orator futurus operam det Comœdo, non ut Comœdus fiat, aut in Foro Comœdum agat, ſed ut ea inde depromat, quæ habet ille cum Oratore communia, hoc eſt, ut diſtincte, & ad perſuadendum accommodate loqui diſcat. Quomodo ſit narrandum; quomodo confirmandum, qua voce, quo geſtu, variæ animi affectiones, in quo regnat Orator, concitandæ ſint, aut ſedandæ. In eam rem optimum factu putat,

putat, si certos quosdam locos elegerit, è Comœdiis, vel Tragœdiis, nam & illas intelligere convenit, & illas quidem præcipue (nam Comœdia proprie dicta, non multum facit ad Oratoriam; unde *vocem* non Comœdorum, sed *Tragœdorum*, in Oratore suo postulat Tullius) Quosnam autem locos eligere debeat Histrio, significat in sequentibus, *ad hoc maxime idoneos*, hoc est, ut ipse mox explicat, *actionibus*, forensibus scilicet, maxime *similes*, quibus isto se modo præparat atque conformat. Usum deinde rei istius hisce indicat verbis: *Iidem autem* (loci isti) *non ad pronuntiandum modo utilissimi, verum ad augendam quoque Eloquentiam* (Interiorem scil.) *maxime accommodati erunt.* Dicit id, quod nos sæpe jam diximus, duplicem inde ad nos utilitatem redundare, quòd præclara illa Veterum loca ediscendo vocem ac gestus formamus, & præterea Interiorem nobis Eloquentiam comparamus. Pergit Auctor: *Et hæc, dum infirma ætas majora non capit.* Non vult *ut locis istis singularibus acquiescat, quem* infor-

informat, Orator, ſed ut majora jam aggrediatur, ut cum ipſa ætate creſcat quodammodo Eloquentia. *Ceterum*, inquit, *tum legere Orationes oportebit, cum virtutes earum jam ſentiet.* Hortatur ad ſermonem continuum, & ad Oratorum proprie dictas Orationes. Eas legere debere juniorem judicat, cum jam capax erit & idoneus ad virtutes earum intelligendas, ad vim Oratoriam omnem non intellectu tantum, ſed ſenſu, ſed animo, percipiendam. At quomodo eas leget? an ſolus? an ſubmiſſe? Audite, quæſo: *Tum mihi diligens aliquis ac peritus aſſiſtat:* quid facturus? audite ſequentia: *neque ſolum lectione formet, verum etiam ediſcere electa ex his cogat, & ea dicere ſtantem, clare, & quemadmodum agere oportebit: ut protinus Pronuntiatione & vocem & memoriam exerceat.* In magiſtro illo requirit diligentiam & peritiam, ut continue illum exerceat, ut artem ſuam intelligat. Eum jubet aſſiſtere, & ad ſingula mentem advertere: Juniorem, non legere tantum, ſed & ediſcere partes Orationis præcipuas, idque ſtantem,

non ſedentem, & ad modum ſe Oratorium conformantem, clare item ac diſtincte, & ad ſingula accommodate, non ut Lector, & alieni operis Recitator, ſed ut ſui Auctor, & verus in Foro Actor. Duplicem ex eo uſum promittit, quod artificioſe iſta pronuntiando vocem, fideliter ediſcendo memoriam ſuam meliorem reddat. En tertiam utilitatem, quæ è Recitationibus hiſce noſtris percipitur. Interior Eloquentia imbibitur, Exterior conformatur, creſcit & augetur memoria. Sed eamus ulterius; & ejuſdem in eodem opere alium, libro undecimo, capite tertio, videamus locum: *Vocem delitiis non molliamus, nec imbuatur ea conſuetudine, quæ duratura non ſit: ſed exercitatio ejus talis ſit, qualis uſus: nec ſilentio ſubſidat, ſed firmetur conſuetudine, qua difficultas omnis levatur.* Docet auctor, quam vocis curam habere debeamus. Eam non eſſe nimiam oportere, ne, dum molles nimis ſumus & delicati, aliquo illa incommodo afficiatur; aut ipſo ſilentio, ſi non exercetur, torpeſcat atque ſubſidat. Exercita-

tationem itaque modicam flagitat, ad uſum forenſem accommodatam, ut aſſidua conſuetudine vox firmetur, & ipſo uſu, qui magiſter eſt optimus, omnis in dicendo difficultas tollatur, ac ſuperetur. Quomodo autem exerceri conveniat, oſtendit verbis ſequentibus: *Ediſcere autem, quo exercearis, erit optimum (nam ex tempore dicenti avocatur, cura vocis, ille qui ex rebus ipſis concipitur affectus) & ediſcere quàm maxime varia, quæ & clamorem, & diſputationem, & ſermonem, & flexus habeant, ut ſimul in omnia paremur.* Vult, ut opinor, Auctor, quæ vocis & geſtuum curam ſpectant debere præcedere, ut omnia iſta, ſe exercendo, ac declamando, comparet ſibi Orator, antequam ad Forum, & ad veras cauſſas accedat, ne, ſi tum ad iſta velit attendere, à rei ipſius contemplatione, & à veris affectibus, quos induere ipſum oporteat, avocetur. Ad præviam iſtam exercitationem optimum judicat, illuſtriora quædam loca ediſcere, eaque quam maxime varia, ut ad omnes Eloquentiæ partes Actionem

ſuam accommodet, atque ad omnia pariter habilem ſeſe & idoneum reddat. Nam nunc ſedato ſermoni ſimilis eſſe debet Oratoris oratio, nunc diſputantium acrimoniam repræſentare, nunc clamorem ciere, nunc vocem inflectere, & flebili ac miſerabili ſono judicem commovere. Ad hæc nos præparat exercitatio, quæ in ipſo dein actu omnia, ſponte & ultro, etiam dum non attendimus, ſubſequuntur. Soli enim rei animum applicat, qui iſta jam didicit, & in ſuam ante naturam convertit. Sed audiamus Fabium noſtrum, hæc eadem inculcantem, & paullo etiam clarius diſſerentem. Locus eſt libro ſecundo, capite ſeptimo: *Ut ſcribere pueros, plurimumque eſſe in hoc opere plane velim: ſic ediſcere electos ex Orationibus vel Hiſtoriis, aliove quo genere dignorum ea cura voluminum, locos, multo magis ſuadeam.* De Junioribus loquitur, ut apparet: eos vult ſcribere, & in eo eſſe opere plurimum; multum enim ſcribendo bene ſcribere diſcimus. Sed tenellæ iſti ætati *multo* tamen convenientius putat, ut ex Hiſto-

ſtoricis, aut Oratoribus, aut aliis item ſcriptoribus, è Poëtis præſertim, inſigniores quoſdam locos ediſcant. Quem in finem illud? audite rationem: *Nam & exercebitur acrius memoria, aliena complectendo, quam ſua: & qui erunt in difficiliore hujus generis labore verſati* (difficilius enim, aliena complecti, quam ſua) *ſine moleſtia, quæ ipſi compoſuerunt, jam familiarius animo ſuo infigent, & aſſueſcent optimis, ſemperque habebunt intra ſe, quod imitentur: etiam non ſentientes, formam Orationis illam, quam mente penitus acceperint, expriment.* Ait, hoc exercitio augeri nobis memoriam, nam noſtra ediſcemus facilius, ubi alienis jam ediſcendis aſſuefacti ſumus. Ait præterea, qui fructus eſt multo uberrimus, ita nos ſenſim adſueſcere optimis, & intra nos ipſos habere, quod imitemur, pulcherrima illa exempla videlicet, quæ jam memoria complexi ſumus; quin etiam non ſentientes, non animadvertentes, eam nos Orationis formam exprimere, quam intus mente concepimus. Quænam autem iſta futura ſit forma, &

quænam inde utilitas redundatura, verbis declarat ſequentibus : *Abundabunt autem copia verborum optimorum, & compoſitione, ac figuris jam non quæſitis, ſed ſponte & ex repoſito velut theſauro ſe offerentibus.* Dicit, quod ſæpe dixiſſe me memini, & optimorum verborum delectum, & artem bene ſcribendi, Tropos item ac Schemata, & lumina illa Oratoria omnia, non longe petita, ſed domi nata, & è theſauro quodam recondito hauſta atque depromta, ac ſponte ſua ſe offerentia, qui ad iſtam ſe normam exerceant, & optimâ ſibi & facillimâ comparaturos via. Sed an nunquam ſcribent? nunquam ſua recitaturi ſunt Juniores? Reſpondebit pro nobis Fabius, & ſua hac reſponſione illud ipſum, quod agimus, comprobabit. *Aliquando tamen permittendum, quæ ipſi ſcripſerint, dicere, ut laboris ſui fructum, etiam ex illa, quæ maxime petitur, laude, plurimum capiant.* Ut non ab Actione tantum, ſed & ſcriptione ipſa, unde ingenii & judicii vis elucet, laudem ſibi debitam conſequantur. *Verum id quoque tum fieri*

opor-

oportebit, addit nobiliſſimus Rhetor, *cum aliquid eommodius elimaverint: ut eo velut præmio ſtudii ſui donentur, ac ſe meruiſſe, ut dicerent, gaudeant.* Concedit iis, ut ſcribant; ut & illud, quod ſcripſerint, recitent; ſed tum demum, cum & verbis & rebus pectus impleverint, & jam ſcribere commode elimateque didicerint; ut iſto quaſi ſtimulo excitentur, & hoc induſtriæ ac diligentiæ publico quaſi præmio condecorentur. Senſus eſt itaque Fabii, & eorum, quæ diximus, omnium: Duplicem eſſe Declamandi modum: vel enim aliena recitamus, vel noſtra: aliena nos recitare debere, dum tenerioris ſumus ætatis, ut ad nobiliſſimorum ſcriptorum exemplar & dictionem noſtram fingamus & actionem; quod minoris quoddam Declamationis eſt genus: noſtra recitare, cum paullo ſumus confirmatiores, & ad pulcherrimam iſtam normam compoſiti; quæ juſta demum eſt Declamatio: his duobus veluti gradibus nos ad Eloquentiam veram adſcendere, quò nunquam aliàs perventuri ſumus.

Quid autem eſt aliud illud ipſum, quam quod ſæpe jam diximus? quod noſtro exemplo oſtendimus? quod continuo jam decennio egimus? Quod ſi mihi non creditis, at optimo credite Rhetori, qui apertis adeo verbis, & loco, ut vidiſtis, plus uno, rem nobis iſtam commendat. Duplicem ille viam conſtituit: nos duplici via incedimus, & eodem modo. Aliena recitant juniores; ſua, provectiores. Utriuſque rei exempla vidiſtis complura, & brevi denuo viſuri eſtis: ut enim hi Ciceronem, ita mox alii alia, hoc eſt ſua, hoc ipſo in loco repræſentabunt. Sed de iſtis non agitur: de illis omnis eſt quæſtio, qui M. nobis Tullium exhibent. Id, clamant homines, fieri neutiquam oportere. Miri ingenii homines, qui næ intelligendo nihil intelligunt. Aliter cenſet, ut ipſius jam verbis vidimus, Quintilianus, qui, ut optimus judex, & rei, qua de agimus, peritiſſimus, iſtorum facile hominum diluet ac repellet inſcitiam, & ad ſaniorem eos mentem reducet. Quid? an illi *inſignio*ra ex Hiſtoricis, Poëtis, & Oratoribus

loca

loca Junioribus in exemplum proponere integrum fuit: mihi nobile aliquod Carmen, aut eximiam aliquam Orationem, non erit? illi ex aliis sumere licuit, mihi è Tullio non licebit? Dicam quod sentio, nec palam dicere erubesco. Aut idem agimus, quod olim ille, aut pulchrius aliquid agimus, atque præstantius. Si è Tullio exempla desumpsit, idem fecit, quod nos hodie facimus: si ex aliis, minus recte fecit, & nos vincimus. Sed ex eodem sumpsisse plane mihi persuadeo, quod & pluribus locis ostendi posset. Nobiscum itaque facit, & nos cum illo. Jam vero, aut partes quasdam illustres ex eo desumpsit, aut integras Orationes. Si partes, nostra rursum ratio potior, totum enim partes involvit; si integras Orationes, nonne idem plane egisse censendus est, quod nos tot annis jam agimus? Ego vero non dubito, quin & partes quasdam illustriores, & integras etiam Orationes è M. Tullio Cicerone desumpserit. Quod si ita se habeat, ut ego sane existimo,

quas alias in exemplum proponere potuit, quam eas ipſas, quas nos jam ſæpe produximus, quæ & ediſci facillime poſſunt, & non minus in ſe utilitatis & artificii habent, quam longiores? Quæ ſi vera eſt conjectura, ut veriſſimam autumo, non ovum ovo ſimilius, quam hiſce noſtris Quintiliani ſint iſtæ Declamantium apud Rhetores Juvenum, & in ſtudio ſe Oratorio exercentium, Recitationes. At privatim id faciebant, non publice. Primum, id an verum ſit, neſcio; nam & privatim fuiſſe exercitos, & in celebri poſtea ac frequenti loco, in conventu amicorum & propinquorum, etiam aliena eos recitaſſe, & Eloquentiæ ſuæ ſpecimen dediſſe publicum puto. Deinde, ſi id maxime verum eſſet, in hoc ab illa præſtantiſſimi Rhetoris inſtitutio noſtra differret, & in eo crimen omne conſiſteret, quod adoleſcentes noſtros in lucem adſpectumque producimus, quod oculis hominum ferendis adſueſcimus, & ad modeſtam quandam in dicendo libertatem

his

his eos exercitiis præparamus. Magnum vero ſcelus, & facinus animadvertendum! Millies dixi, (& quoties idem dicendum eſt?) nulla alia, niſi iſta, Exteriorem hanc Eloquentiam addiſci via. Multifarii uſus rem eſſe, ut è Quintiliano modo oſtendimus: Juniores nondum quicquam poſſe componere: interim hæc addiſcere, quæ maximo illis olim futura ſunt adjumento. At domi facienda ſunt iſta. Ita ſane facimus, & publice idem faciendum exiſtimamus. Qui audire nolet, ne audiat: qui coram adeſſe, & ſua nos præſentia honorare dignabitur, ei habebimus gratiam, ut habemus, magnam. Nec iſta magnopere venditamus: ſæpe nec ſcedulam valvis affigimus: portam aperimus, ut libera unicuique ſit exeundi non minus, quam intrandi, licentia. Suos quiſque Auditores adducit, propinquos, notos, familiares; quos ut plurimos eſſe cupimus, ita & paucis contenti ſumus. Nunquam tamen, quod præfiſcine dixerim, à noſtris nos auditoribus deſerti

ſerti ſumus. Quæ vero iſta invidia eſt, & Junioribus hanc oſtendendi ſui occaſionem, & hanc parentibus voluptatem, quam è liberorum ſuorum ſtudiis capiunt, præcidendi ac denegandi? Ut ut iſta ſe habeant, & quicquid de his ſentiant homines, ego in incepto perſiſtam, nec à recta me unquam ſemita deduci ſinam. Id ago, quod egerunt ante me Veteres: quod etiam ſine illis bonum ac rectum foret. Noſtra proferemus, ubi ad manum aliquid erit; aliena, dum illis nondum uti licebit; & binis hiſce clivis, ut ita dicam, ac ſcalis, ad arcem Eloquentiæ contendemus. Prælucebit nobis M. Tullius Cicero, optimum, etiam tum, cum plures optimi eſſent, ac perfectiſſimum Eloquentiæ omnis exemplar. Illum, ut poſſumus, æmulari, ad illius exemplum ſcribere, ad illius ſcripta nos fingere, & vocem ſimul ac geſtum conformare conabimur. Vos interim, Adoleſcentes, & qui vos deinceps ſequentur, ante omnia monitos volo, ut in propoſito perſeveretis, nec

ab

ab eo, quem premitis, tramite ullorum ſententia hominum patiamini vos avocari: certoque vobis perſuadeatis, hanc unicam eſſe & optimam, quæ ad Eloquentiam ducit, viam; unde fructum olim ampliſſimum, ac multo quàm creditis uberiorem, honores ac dignitates, famam & gloriam, in omni vitæ genere colligetis. Vos vero, quos hæc propius tangunt, qui pro tribunali dicetis, aut pro concione verba facietis, nolite quicquam antiquius, quicquam putare conſultius, quam ut Eloquentiæ ſtudium excolatis, & ſcribendo ſimul ac dicendo aliis antecellere omnibus ſtudeatis. Ad vos hæc pertinent: vobis hæc nata ſunt, vobis inventa, & in veſtrum præcipue commodum à nobis dicta. Agite itaque, agite, & omnibus animi viribus in id incumbite ſtudium, ſine quo nec munus veſtrum obire, nec impoſitam vobis perſonam ſuſtinere cum laude poſſitis. Ita ſe rem habere, & verum eſſe quod dicimus, ſi minus nunc creditis, experiundo convicti, & ipſo

ipso usu edocti, verum esse comperietis.

FINIS.



Digitized by Google

CORRIGENDA.

Pag. 34. lin. 3. 4. *lege*, & quòd volunt, & quòd decet, & quòd, M. Marcello &c.
Pag. 64. lin. ult. l. ſibilantem illam, & liqueſcentem.
Pag. 81. lin. 12. l. *timendum fuiſſe.*
Pag. 107. lin. 21. l. aſſurgunt rurſum.
Pag. 121. lin. 3. l. declamabant.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google